

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Sebastian Niemann Andreas Reinbeck

Disputatio Theologica De Viribus Liberi Arbitrii In Conversione

Iena: Wertherus, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786503084>

Druck Freier  Zugang



Fa-1092(52.)

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786503084/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786503084/phys_0002)



DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.

TOMO HOC XCVII. COMPREHENSUS.

- Scrinium Scripturae Sacrae. Pr. Petri. 1. De Triplex Officio Christi. Pres. 25.
 Conformatio Ideo. Papistica in loco. 2. De Michaelio. 26.
 de Scriptura Sacra. Mr. D. M. Gessero. 3. De Problemate Theologico. Ad hunc
 de Analogia Fidei. Pr. D. Th. Calovio. 4. culus Fidei de Ascensione Christi
 de Interpretatione Scripturae S. P. Mylio. 5. in Coelis quicquam derogat vere
 de SS. Scripturae Authoritate. Perfectione 6. Corporis leti sanguinis eiusdem. Pre
 ac Perspicuitate. Pr. M. El. Veselio. 7. sentia in S. Coequa. 8. Pres. D.
 de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. 8. Celestino Mylentia. 9. Pres. D.
 Pet. 1. fo. 20. 21. Pres. D. D. Veselio. 9. de Loenitentia Peccatarum Niviri
 de Cognitione Dei Definitiva, an delur. 10. tica. ad Jon. c. 3. comm. 11. Pres. " 11.
 Pr. M. Joh. W. emmam. 12. Joh. Friderica Mayer. Licent. 12.
 de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. 13. de Sigillo Confessionis. Pr. D. Johann. 13.
 Sebast. Niemanno. 14. Endo. 15. ved. hact.
 de Personarum divinarum distinctione, 15. De Nomo Confessionis. Non. Prudi
 an et quanam illa sit. Pres. Codem. 16. Rsumming. Compliment. Ruth & D. Muller 16.
 de Actione Del prima in tempore; q. 17. De habitatione proprie pro pote 17.
 dicitur Creatio. Pr. M. Joh. W. emmam. 18. nis temporibus. Immissio del pte
 de Permissione divina circa peccata. Pr. 19. in hac vita. Pr. D. Joh. Behmio. 19.
 D. Christiano Chemnitio. 20. De Logica Iuris Naturae. Pr. D. Reb. 20.
 de Appellationib. Daemonum. Pr. D. Joh. 21. De Bonifato Pontificiorum Septe. 21.
 Meissnero. 22. nario. Sacramentorum Dunelio. 22.
 de Natura et Qualitate Luminis Glo- 23. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 23.
 ria. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 24. de Baptismo. Pr. M. Lev. Pouchenio 24.
 de Peccato Veniali. 25. Q uod. Cas. Cum Abstemus quid. 25.
 de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. M. 26. agendum in SS. Synaxi. Sit. 26.
 Joh. W. emmam. 27. D. Joh. Meissner. 27.
 de Phras Scripturae, qua Deus dicitur. 28. de Fide in Regiam Patriarchali. 28.
 Inducere. Ex cocca. Ac. Pr. D. S. Schmidt. 29. ex Genes. 4. 9. fo. 18. Pr. D. S. Schmidtio 29.
 de Vinib. Liberi Arbitrii in Conversione. 30. De Donis Openbus. Pr. M. Joh. W. emmam. 30.
 Pr. D. Sebast. Niemanno. 31. 31.
 de Actione Del prima ab aeterno, que 32. De Donis Openbus. Pr. D. S. Niemann. 32.
 dicitur Prædestinatio. Pr. M. Joh. W. emmam. 33. De Donoru Operum Necesitate. 33.
 de Phras Scripturae. Deletiois a libro 34. Pr. D. Joh. Et bestio Gerhardo. 34.
 Vita. Pr. D. Sebast. Schmidt. 35. Iacob Clavis Ligantis. Pr. D. Damhauer. 35.
 de Foemina Circundante Virum tan- 36. T. vir prove & troy. 36. novas exi. 36.
 quam novo, quod creavit dominus. ex 37. Ezechielis. 24. 4. Greenio. 37.
 Verem. 31. fo. 22. Pr. Habichhorstio. M. 38. Surgitorum exustum q. Papistas. 38.
 de Aphorismo Joh. cl. 4. Verbum Caro 39. pr. D. Joh. Adamo Schepero. 39.
 factum est. Pr. M. Joh. W. emmam. 40. De Reliquis Christi et Sanctorum. 40.
 caris Aphorismorum Theolog. de In- 41. Carus cultu. Pr. D. S. Niemann. 41.
 caratione Filii Del Domini. N. I. C. 42. de Resurrectione Mortuorum. 42.
 Pr. D. S. Codem. 43. Pr. M. Lev. Pouchenio. 43.
 de Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. 11. 44. de Resurrectione Impiorum. Pr. 44.
 ib. de us manifestat est in carne. 45. D. Johanne Meissner. 45.
 Parallelisma Calvinae Nestorianus. 46. Conta Empatolog. Promissionis. 46.
 Pr. Johanne Adalmo Schepero. 47. Adventus Christi Ultimus. Pr. D. W. emm.
 47. de Genitu Creatura & Intelligentia. 47.
 48. Pr. D. I. Christophoro. 48.
 49. de Appellatione ad supremum. 49.
 dicitur Iesum Christum. Pr. D. E. Gerhardo. 50.
 51. fasciculus Viventium. Pres. 49.
 52. D. Sebastianio Schmidtio. 52.
 Hopffew. Augustano. 52.

Collectio a M. Antonio Ulrico
 Comp. Tulinga. Amo. 16. 80.
 d. 14. Juny.

V.





DISPVATATIO THEOLOGICA
 De
VIRIBVS LIBERI ARBITRII
 IN CONVERSIONE,
 QUAM
DEO Opt. MAX. ANNUENTE
 SUB PRÆSIDIO
VIRI
Pl. Rev. Ampliss. atque Excellentissimi
DN.
SEBASTIANI NIEMANNI,
 SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE IN
 HAC ALMA SALANA P.P. LONGE CELEBER-
 RIMI. DN. PATRONI ET PRÆCEPTORIS
 SUI ÆTATEM COLENDI.
Publicæ Eruditorum Censuræ submittit
ANDREAS Reinbeck,
 LUNÆBURGENSIS.
Ad d. Novemb. Anno M. DC. LXV.
 In Auditorio Theologorum.

JENÆ
 Typis JOHANNIS VVERHERI.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSUL-
TISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
DNN.

CONSULIBUS COSILIARIIS

UT ET

TOTI SENATORIO ORDINI
INCLYTÆ AC CELEBERRIMÆ
REIPUBL. LUNÆBURGENSIS

PATRIBVS PATRIÆ
VIGILANTISSIMIS.

DNN. PATRONIS, PROMOTORIBUS, ET EVER-
GETIS SUIS SUBMISSE OBSERVANDIS,
COLENDIS.

Exiguas hasce ingenii sui primitias in gratia
animi & observantiae monumentum & ul-
terioris Favoris incitamentum,
humillime

offert

ANDREAS Reinbeck.



PRÆLOQUIUM.

Ppidò certè notabilia sunt verba magni illius Hippomensium Episcopi, qui ista, inquit, *August. Ab.* *1. de grat.* *q̄uestio (de libero hominis arbitrio) ita ad di-* *Dei cont.* *scernendum difficilis est, ut, quando defenditur Pel. cap. 47.* *liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur;* *quando autem assertur Dei gratia, liberum ar-* *bitrium putetur auferri:* Quæ verba quemadmodum summam præsentis materiæ difficultatem graphicè prorsus depingunt, animoque nostro subjiciunt: ita me, fatebor enim, cum adhuc vehementer animi penderem, quam potissimum controversiam elaborandam susciperem, s̄epissime ab incepto revocarunt. Posteaquam verò operi huic manum admovi, & difficultates circa hunc fidei nostræ articulum emergentes diligenter & attentiùs quām unquam antea expendere c̄api, ecce tibi tot tortuosæ Adversariorum strophæ & cavillationes, tot magnorum Virorum in hac ipsa controversia dissensiones, tot perplexæ & inexplicabiles ferè difficultates fere mihi obtulerunt, ut de felici suscepti operis successu subdubitare & tantum non animum despondere inciperem. Videbam enim non solum in primitiva ecclesia Pelagianos & Semi-Pelagianos, sed & superiori seculō Synergistas veritati obloquitos esse: animadvertebam, Pontificios orthodoxam nostram sententiam etiamnum calumniis proscindere & in tanta veritatis luce extremæ absurditatis incusare: memoriā denique tenebam me s̄apenumero legere & audire, tantam in hac q̄estione oboriri difficultatem, ut ipse B. Lutherus & Philippus Melanchthon, suī illi & divinitū Germaniæ nostræ concessi Doctores, non tantum satis se expedire non potuerint, sed

A 2

potius

7

potius aperte ab invicem dissenserint. Quæ omnia si me ab incepto non penitus revocare, dubium saltim reddere omnino potuerunt. Confirmavi tamen ad extremum ipse me, sperans fore, ut, si, implorato divinō auxiliō, vestigiis DNN. Præceptorum meorum fideliter insisterem, & revelatum Dei verbum ceu filum quoddam Ariadnæum sequerer, facile ex hoc variorum & gravissimorum errorum Labyrintho non tantum evaderem; sed & amabilem illam veritatis lucem hilari mente aspicereim. Quod si vero alicubi à nobis titubatum erit, id æquus & benivolus Lector judicio nostro minus minusque confirmato tribuet & condonabit: nos vero de eo amanter admoniti tantum abest, ut iniquo animo illud latiri, ut potius maximas ipsi simus habituri gratias. Sit itaque



CAPUT PRIMUM.

In quo

Status controversiæ recte constituitur.

S. I.

Quod attinet ipsa vocabula liberi arbitrii eorumque ὀνοματολογιῶν, de ea, cum nulla subesse videatur difficultas, non erimus solliciti. Illud saltim observamus ex Becani Theol. Schol. de Lib. arb. q. 1. nomen arbitrii dupliciter sumi posse 1. pro actu intellectus, & sic idem est, quod judicium seu consilium. Et quando arbitrium hoc intellectus liberum esse dicitur, significatur, consilium, quod ab intellectu datur voluntati, tale esse, ut non cogat voluntatem, sed ipsam voluntatem, auditu consilio, posse sequi & agere quod velit. 2. pro actu voluntatis, & sic idem est quod electio. Nam electio, quæ est actus liberæ voluntatis, est quasi arbitrium quoddam, quô voluntas unam rem præ alia liberè amplectitur. Quô sensu vulgo dicimus, in meo arbitrio est hoc facere, vel omittere, id est, in mea electione & potestate. Si tamen usum loquendi spectes, nomen liberi arbitrii

trii, ut recte ibidem monet Beccanus, nihil aliud significat, quam libertatem voluntatis, seu voluntatem in agendo liberam.

§. 2. Cum vero liberum arbitrium seu libertas voluntatis possit considerari vel *in actu*, ut loquuntur, *signato*, vel *in actu exercito*; *In actu signato* de eâ agere, & quidnam sit, quomodo distinguatur, quodnam sit ejus subjectum, objectum & alia hujusmodi ostendere, ad forum philosophicum propriè spectare existimamus, adeoque hæc & similia ex philosophia, ceu nota, presupponimus. Nos vero hæc quidem vice de ea *in actu exercito* seu circa certum objectum considerata acturi sumus.

§. 3. Neque vero omnia, quæ in praesenti materia ab Autoribus tradis solent, nos jam in disceptationem vocabimus. Cum enim, ut vulgo notum & Formula Concordiae *Forma. Concordia* utilissime docet, homo ratione liberi sui arbitrii in quatuor & quidem valde diversis statibus considerari possit: *primò lib. arb. sub ante lapsum: secundò post lapsum: tertio post regenerationem: initium. quartò post resurrectionem: nunc, quanquam de omnibus hisce statibus variæ soleant moveri controversiæ*, nos quidem liberum arbitrium tantum considerabimus, quomodo illud se habeat post lapsum, ante regenerationem, in ipsa videlicet hominis conversione.

§. 4. Verum, quid controversiæ status admodum sanguineo intricatus tantò rectius & clarius à nobis constituatur, nonnulla adhuc tum de libero arbitrio, tum de ejus objecto prælibanda erunt.

§. 5. Et quidem quod liberum arbitrium attinet, sumitur illud *dupliciter*: 1. *materialiter*. 2. *formaliter*. *Materialiter* sumtum nihil aliud est, quam ipsa facultas quæ libera denominatur, sive ipsa voluntas, & hæc quidem acceptione non modò liberum arbitrium in homine, etiam non renato, non negamus, sed potius id ipsum asserimus, cum qui hoc neget ex homine faciat non-hominem. *Quemadmodum* enim voluntas realiter ab ipsa anima non differt, ita qui in homine negat voluntatem, negat hominem præditum esse animam.

17

rationali & per consequens negat hominem esse hominem.
Bellarm. in Quod propter Bellarmini injustissimas accusationes, si non
prefat. de calumnias, annotare voluimus, qui hereticis sui temporis (in-
lib. arb. sta- telligit autem, quemadmodum ex subsequentibus colligere
tim sub init. est, non minus Lutheranos quam Calvinianos) affingit,
quod in ipsam naturam, adeoque in sua ipsorum capita atque visce-
ra infestas manus gladiosque convertant: idque propterea quod
negent, ut ipse illis falso tribuit, ipsam voluntatis liberta-
Bellarm. l. 4 tem. Ex eodem quoque fundamento Manichæis hæreticis
denot. Eccel. nos assimilat, quod quod jure quâve injuriâ fecerit, pluribus
cap. 9. he- ostendere præsentis loci non est.

ref. 8.

§. 6. Formaliter acceptum liberum arbitrium impor-
tat vires facultatis illius liberæ, scilicet voluntatis, agendi
& non agendi, agendi hoc & agendi aliud. Et in hac ac-
ceptione, quod & titulus disputationis innuit, liberum ar-
bitrium à nobis in controversiam vocatur, & vires ejus, po-
sitivis omnibus ad agendum requisitis, agendi & non agendi,
agendi hoc & agendi aliud, ratione certi objecti, quod in-
fra pluribus declarabitur, homini nondum renato iuxta du-
ctum scripturæ rectè denegantur.

§. 7. Ex dictis satis clarum evadit, nos hîc liberum
arbitrium considerare, non solum prout est liberum à co-
actione, sed etiam prout est liberum à necessitate, quod qui-
dem Calviniani communiter negant & nominatum quidem
Chamier. Chamier: Catholicæ (Calviniani) statuunt, inquit, posse qui-
Panstr. Ca- dem cadere in arbitrium libertatem à qualibet necessitate; sed non
thol. tom. 3. ita, ut id sit de ejus essentia. Itaque posse etiam constare, dcm. à
lib. 2. cap. 1. coactione sive violentiâ, etiam si adst. alia aliqua necessitatis species,
§. 12.

quam ego triplicem faciam doctrinæ gratiâ. Primam necessitatem
ipsi arbitrio internam, quia non potest arbitrium agere nisi pro suâ
naturâ. -- Secundam necessitatem consequentis, quum supposito fine
aliquo necessariò mediis utendum est. -- Tertiam necessitatem direc-
tionis, quæ est à causis superioribus moventibus voluntatem: Sic
Deus dirigit per providentiam suam cor hominis etiam ad singularia
effecta, ut tamen cor maneat liberum: sic per gratiam suam fidelium
voluntas flectit in bonum, ut tamen liberae maneat.

§. 8. Cx-

7

§. 8. Cæterum contra hanc Chamieri à vero alienam sententiam multis insurgere præsentis instituti ratio non concedit. Breviter observamus eam repugnare i. communni consuetudini loquendi: quicunque enim percipit, actionem aliquam esse liberam, non potest non concipere ejusmodi actionem, quæ ita ab agente procedit, ut in potestate agentis fuerit aliud agere vel etiam planè ab agendo cessare. Repugnant autem hæc duo: aliquem libetè agere, hoc est ita ut potuerit etiam non agere & aliter agere: & aliquem agere necessariò: hoc enim manifestò importat, eum non potuisse non agere, vel etiam aliter agere: quod priori contradicere quilibet videt. 2. Stante hæc opinione concedi oportet, bruta etiam esse libera agentia: ipsa enim bruta nonnunquam agunt sine coactione aut sine necessitate externa; v. g. quando bos esuriens liberè & non coactè occurrit ad pabulum. Consequens igitur eslet, bruta quoque libertate propriè dictâ gaudere, si libertas illa solam respueret necessitatem externam seu coactionem. Quoniam verò hoc adserere perabsurdum, ideo nostra sententia præferenda est, libertatem arbitrii excludere omnem necessitatem tam internam quam externam, prout opponitur hōc locō libertas DETERMINATIONI facultatis AD UNUM, sive determinatio illa ab intrinseco sive ab extrinseco principio dependeat. Quod autem præterea directio divina libero hominis arbitrio nullam, ne minimam quidem inducat necessitatem, alibi docetur. Plura qui desiderat videre potest Dn. D. Joh. Musæi disp. phil. de ratione form. libertatis & B. Dn. Slevogtum, hujus, dum viveret, Academiæ Ocellum, in dispp. Acad. phil. præct. 1. 2. 3. 4. 5.

§. 9. Sed è diverticulo in viam! Liberum arbitrium, ut omnes reliquæ animæ nostræ potentiaæ, certos producere actus in confessu est; illi *actus* autem iterum sunt in duplice differentia: alii sunt simplicis complacentia, alii efficaces. *Actus simplicis complacentia* dicuntur, cum homo aliquâ rē tantummodo delectatur, non tamen ita, ut eam vel producere vel acquirere velit. *Actus autem efficaces* sunt, cum voluntas appetit

petit rem ut producendam vel acquirendam. Actus simplicis complacentia circa objecta mere spiritualia homini ψυχικῶ non esse deneganda, docet nos exemplum Atheniensium, qui cum audivissent Paulum de resurrectione & a-

Act. XVII. lijs fidei articulis differentem, responderunt: *audiemus te de hoc viciſſim*. Similiter de Herode legimus, quod metuerit
32.
Marc. VI. Joannem, sciens eum virum justum & sanctum, & custodierit eum
20. & auditō eō **MULTA FECERIT**, & ἡδεώς **LIBENTER** eum audiuerit. Concessis igitur homini animali actibus simplicis complacentia, effigaces ei circa illa, quæ diximus, objecta simpliciter denegamus.

3roī §. 10. Dicis: Si homini nondum renato conceduntur actus simplicis complacentia circa objecta mere spiritualia, sequitur quod ipse sese ad gratiam præparare possit. Consequens est absurdum. Ergo & Antecedens. Respondemus negando consequentiam: ut enim quis lead gratiam Dei **SALUTARITER** præparet, non sufficiunt qualescumque actus, sed requiruntur actus **SPIRITUALES**. Dicis: Versantur tamen hujusmodi actus circa objectum spirituale. E. erunt spirituales. Respondemus: aliud est actum quendam versari circa objectum spirituale: aliud vero actum, qui circa objectum spirituale versatur, esse spirituale, quod præter objectum spirituale tanquam materiale, involvit etiam modum agendi spiritualem tanquam formale. Prius non sufficit, ut aliquis dicatur se salutariter disponere ad gratiam Dei; sed posterius etiam requiritur, si-
1.

i. Cor. II. 14. cut innuit ipse Paulus i. Cor. II. 14. inquiens: *ea quæ sunt Spiritus Dei -- πνευματικῶς ἀναγνέντες SPIRITALITER diligēdantur*. Hanc responsonem supeditavit nobis Vir Maxi-

Dv. D. Mu- mè Reverendus, Amplissimus atque Excellentissimus DN.
saus diff. 4. Johannes Musæus SS. Theol. D. ejusdemque in hac inclyta
de conv. c. Salana P. P. Primarius, Rector hujus Academia Magnificus,
2. §. 56. Patronus & Præceptor meus filiali observantiā colendus.
Verba ejus haec sunt: *Hi actus (simplicis complacentia) propriè spirituales non sunt, sed in animalium actuum censum veniunt.* Ratio est: *quia quamvis pro objecto materiali habeant res*
spiritua-

19

spirituales, formale tamen non est spirituale quid, sed quedam communis ratio boni, sub qua voluntas in eas fertur cum in modum, quo in impossibilia ferri solet, sicut etiam ab intellectu hominis animalis non aliter apprehenduntur, quam ut impossibilia, vel certe, ut constat bona & que non dentur.

§. 11. Hæc de ipso libero arbitrio heic loci prænotasse sufficiat, quæ breviter huc redeunt: Non esse controvrsiam de ipsa voluntate, sed de VIRIBUS voluntatis ad producendos actus, non quoscunque, sed EFFICACES.

§. 12. Quoniam verò voluntas hic non ut potentia passiva, sed potius ut activa potentia consideratur, ideo ipsa quoque ordinem habet ad suum objectum. Propterea porro notamus, non esse hic quæstionem de omni omnino objecto, sed de objectis MERE spiritualibus. Objecta enim voluntatis, quantum ad præsens, bifariam dividuntur: alia sunt naturali rationi subjecta, sive illa sint naturalia, sive moralia: alia autem objecta naturali rationis luminí non sunt subjecta, sed à sapientiali revelatione pendent: Quæ objecta superiùs signatè mere spiritualia appellavimus, ut distinguerentur ab illic actionibus, quæ in decalogo præcipiuntur, & non raro etiam spirituales vocantur. An autem & quatenus homini non-renato in rebus naturalib⁹ & civilibus libertas concedenda sit, satis perspicue docet Augustana Confessio, in Aug. Conf. art. 18.
qua hæc leguntur: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus in operibus vita præsentis, tam bonis, quam malis: bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere industria, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. — Malis verò dico, ut est, velle idolum colere, velle homicidium &c.* Item: De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & diligendas res rationi subjectas.

§. 13. Notanter autem Aug. Conf. verbis jamjam ci-tatis concedit homini in rebus sensui subjectis ALIQUAM liberta-

B

liber-ta-

17

libertatem: licet enim in hisce homo libertate gaudear,
fraude tamen & vi diaboli, judicij humani imbecillitate, &
voluntatis extremâ corruptione hæc ipsa libertas sæpiissime
impeditur, ut in malum potius quam in bonum humana ra-
tio proclivis sit. Pluribus & eleganter quidem hoc ipsum
prosequitur communis ille Germanæ Præceptor Philippus
Phil. Mel. in Melanchthon. Cum reliqua sit, inquit ille, in natura hominis ra-
Apol. Aug. tio & judicium de rebus sensui subjectis, reliquus est etiam delectus
Conf. art. earum rerum & libertas & facultas efficiendæ justitie civilis. Id e-
18. pag. 218. nem vocat Scriptura justitiam carnis, quam natura carnalis, hoc est
ratio PER SE efficit sine Spiritu Sancto. Quanquam tanta est vis
concupiscentia, ut malis affectibus sœpius obtemperent homines, quam
recto judicio. Et diabolus, qui est efficax in impiis, ut ait Paulus,
non desinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta.
Quamvis autem hæc satis clara cuidam possint videri, ut u-
beriori declaratione opus non sit: facere tamen non pos-
sum, quin iterum adscribam elegantissima & accuratissima.
D. Musæus verba supra laudati Dn. D. Musæi, quibus ille præsens ne-
disp. 4. de negotium hunc in modum delineat. Quamvis verò in ordine ad
Conv. cap. 1. res sensibiles homo animalis non planè mortuus sit, sed facultates a-
nimæ etiamnum aliquas vires ad actus vitales in se eliciendos habe-
ant, tamen hæc etiam QUALESCUNQUE vires reliqua, per depravata
deperditam in Adamo justitiam originalem, valde depravata & languida
sunt, ut licet sensus circa suum objectum proprium non facile errant,
Ephantasmata ab intellectu agente illustrata, intellectum ad rerum,
quas repræsentant, cognitionem evidenter moveant & determinent:
tamen in discurrendo & investigandis rerum naturis, causis, affectio-
nibus, instituendis actionibus vitæ, gubernandâ minus perspicax est
ratio corrupta & utitur non raro principiis naturæ evidenter cogni-
tis ineptè, maleque ratiocinando incidit in opiniones absurdas, im-
pias, scandalosas.

§. 14. Cæterum antequam hinc abeamus de eo ad-
huc dispiciendum erit, quænam actiones merè spirituales
dicendæ sint? Hic verò non levis se se offert difficultas: di-
cotamen cum Viro Maximè Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo Dn. Gerhardo Titio SS. Theol. Doct. & in-

alma

alma Julia P. P. famigeratissimo, Domino Præceptore & Pa-
tronu meo ætatè colendo. Res spirituales ad tria quasi capita D. Titius
revocamus. 1. assentiri mysteriis revelatis. 2. gratiam Dei à Chri- coll. Theol.
sto partam sibi in individuo appropriare. 3. desideria carnis, ten- disp. s. §. 4.
tationes ejusdem, ut & mundi ac Diaboli reprimere ne regnent. Ad & not. ma-
bæc inchoanda, consummunda, & continuanda vires naturales in- nuss. ad h. l.
tellectus & voluntatis dicimus nullas esse. Existimamus autem
eodem Virò Magnò Autore, in proximè præcedentibus ver-
bis: non admodum opus hic esse subtilitate. Etiam si enim res
quasdam colloces in classe spiritualium & naturæ vires excedenti-
um, que fortassis natura adhuc possit præstare, tamen istò patet
nullum in errore, si quis contingat, est periculum, cum melius sit gra-
tie Dei nimium & nostris viribus justò minus, quam nostris viribus
nimium & gracie Dei justò minus tribuere.

§. 15. Porrò circa objecta spiritualia etiam hoc an-
notandum venit, quod considerentur vel confusè & in com-
muni ratione alicujus boni, vel distinctè & in particulari, vide-
licet in sua propria natura seu ratione specifica. Quam di-
stinctionem ipse Paulus subministrat his verbis: *Quid ergo Rom. IX. 30.*
dicemus? quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehende- 31.
runt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est; Israel vero SECTAN-
DO LEGEM JUSTITIÆ ad legem justitiae non pervenit. Et rur-
sum: *Testimonium perbibo illis (Judæis) quod zelum qui-* Rom. X. 2.
dem Dei habent; sed non secundum scientiam. Ex quibus sole
meridianò clariùs elucefecit, LEGEM JUSTITIÆ (quæ in-
ter objecta spiritualia meritò refertur) Judæis reprobis fu-
isse cognitam, sed saltim confusè & in communi ratione ali-
cujus boni: neverant enim Judæi dari aliquam justitiam,
quæ coram Deo valeat & cuius intuitu homines justificen-
tur & salventur: neverant Judæi Deum esse & secundum e-
jus beneplacitum esse vivendum. Quis vero non videt,
hanc cognitionem fuisse confusam & nimis generalem? sie-
nam ulterius progreedi velimus & distinctè cognoscere, quæ-
nam sit illius Justitiae definitio, quæ causa, quibus mediis ac-
quiri possit, quæ ratione impediatur? satis manifestum est,
de hisce Judæis illis, de quibus dictis locis sermo est, ne mi-
nimūm

17

nimum quidem constitisse: ignorabant enim & per duritiam cordis agnoscere nolebant, in Christo, unico illo totius mundi Redemptore, ejusque satisfactione sufficientissimam, per veram & vivam fidem apprehendendam, LEGEM JUSTITIAE consistere. Ex quibus conficitur, verba Pauli de cognitione confusa esse intelligenda, eamque propterea homini etiam animali concedi posse; DISTINCTA vero notitia, praesertim si illa omnibus suis numeris sit absoluta, ei nulla ratione competere potest.

§. 16. Neque illud silentio involvendum, sed potius in medium proferendum est: distinctam illam, de qua diximus, cognitionem semper & necessariam, siquidem salutaris esse debeat, includere assensum. Qui assensus iterum duplex est, *generalis* & *specialis*, qui ab aliis *salutaris* dicitur. *Generalem* dicimus, quod quis quidem in genere credit, Christum esse Salvatorem mundi, quin immo, non esse in alio aliquo salutem, cum non sit aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporeat nos salvos fieri, sibi tamen in individuo illud non applicat. Assensum *speciale* sive *salutarem* vocamus, quod

Aet. IV. 12. stum esse Salvatorem mundi, quin immo, non esse in alio aliquo salutem, cum non sit aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporeat nos salvos fieri, sibi tamen in individuo illud non applicat. Assensum *speciale* sive *salutarem* vocamus, quod quis cum Paulo vere & ex animo dicere potest: *Christus dillexit ME & tradidit semetipsum pro ME.* Non sufficit prior assensus, qui in hypocritas, quin & diabolos non minus cadit, quam in verè credentes, sed posterior potissimum requiritur, adeo ut nemo possit salvari, nisi eō prædictus sit.

D. Musæus
disp. 4. de
conv. cap. 2.
§. 40.

§. 17. Denique & illud obseruo cum Dn. D. Musæo, Theologo summo, Præceptore meo filiali observantiâ prosequendo, quod non queratur de homine animali, quid ille sibi relictus, & omni, etiam exterritorum, gratia auxiliò destitutus circa objecta mere spiritualia posit. Cum enim objecta illa, quæ mere spiritualia vocantur, non aliunde, nisi ex revelatione divina, nobis innotescant, quippe cum nec sensibilia sint, nec ex sensibilibus per ullam consequentiam deduci possint, clarum evadit, & ipse fortè Pelagius concesserit, hominem animalem sibi relictum, non posse aliquid in rebus spiritualibus agere, nisi Deus per supernaturalem revelationem id ei notum reddidisset.

§. 18. Hi-

§. 18. Hisce omnibus ita observatis, status controversiae huic denique redit: An voluntas hominis nondum renati circa bona MERE spiritualia DISTINCTE & IN PARTICULARI cognita, libera sit & indifferens, ita nempe, ut quemadmodum bona illa potest aversari, ita eadem EX SE possit EFFICACITER velle & desiderare?

§. 19. Sed quia voluntas potentia cœca est, ita ut nihil possit appetere aut desiderare, nisi illud prius distinet ab intellectu cognitum fuerit, nos, perspicuitatis gratiâ, ut vulgo etiam fieri solet, huic quæstioni aliam de intellectu hunc in modum formatam præmittemus: An homo post lapsum VI LUMINIS NATURALIS bona MERE spiritualia DISTINCTE & cum assensu SPECIALI ex REVELATO DEI VERBO cognoscere possit?

CAPUT SECUNDUM.

In quo

Vera sententia confirmatur & ad præcipuas adversariorum exceptiones respondetur.

§. 20.

Quid in præsenti materia propriè in controversiam veniat, quid non, superiori capite, ut speramus, perspicue satis ostendimus. Ordinis igitur ratio exigit, ut veram sententiam claris & perspicuis S. Scripturæ dictis comprobemus & probationes nostras ab adversariorum exceptionibus, pro ratione temporis, vindicemus. Amplectimur autem in utraque quæstione, §. penult. & ultimo superioris capitilis proposita, negativam, & eam quidem quæstionem de intellectu, quæ postremo loco posita est, prius ventilabimus. Evidet enim, quod intellectus humanus, sibi suisque viribus relietus, bona MERE spiritualia DISTINCTE & cum assensu SPECIALI ex verbo Dei REVELATO cognoscere non possit, neminem tam perfictæ frontis fore existimamus, quin ambabus, quod ajunt, manibus, nobis largiatur, voluntatem quoque sine speciali gratiâ auxilio efficaciter illa velle & desiderare non posse.

B 3

§. 21.

§. 21. Confirmamus autem nostram sententiam de in-

i. Cor. II, 14. tellecitu humano i. ex verbis Pauli: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* Quod dictum sicuti ferè præcipuum est, & perspicuè admodum demonstrat, quid hominis animalis intellectus in iis, quæ sunt Spiritus Dei, possit & non possit: ita diligentem quoque meretur considerationem. Emserus, citantibus B. D. Meisnero & B.

D. Martino Chemnitio, per ψυχὴν ἀνθρώπον intellexit partem hominis, quæ ipsi communis est cum brutis, eamque appellari docuit animalem εἰς ratione, quā spiritus animales dicuntur. Unde etiam voluit reddendum esse, der

Chemn. Loc. Θιερισche Mensch. Verūm hæc illius corruptela ex ipso contextu nullō negotiō refutatur. Apostolus enim in hoc capite totus in eo est, ut ostendat, quòd non sit loquutus εἰς διδακτοῖς αἱ θεωτίνες οὐ φίλας λόγοις, ut versu præcedente 13. loquitur, sed εἰς διδακτοῖς πνεύματος αἴσις: & hoc confirmat versu hoc 14. ex eo, quia ψυχὴν ἀνθρώπον non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei &c. itaque quos vers. 6. hujs capitis ἄρχοντας τοὺς αἰῶνας τοὺς principes hujus seculi (hoc est, qui præstant doctrinā, prudentiā, eloquentiā & aliis animi dotibus alios) vocaverat, eos hoc versu ψυχὴν ἀνθρώπον appellat. Deinde idem patet ex oppositione, quæ in tex-

tu occurrit: huic enim ψυχὴν ἀνθρώπον versu sequente 15. πνεύματον opponit: sicut ergo per πνεύματον necessariò intelligendus est talis homo, qui habet Spiritum sanctum gratiosè inhabitantem & ejus ductu regitur: ita vi oppositionis per ψυχὴν intelligendus, qui gratiosā Spiritus sancti inhabitatione destituitur, qualis est homo à prima sua nativitate; non verò is, qui tantum sensu regitur more brutorum. Quod ipsum etiam patet ex his Iudei verbis:

Epist. Jude v. 19. *Hi sunt qui segregant semetipos ψυχὴν, πνεύμα μὴ ἔχοντες:* & Jacobus hominis illius, qui in peccatis securus degit, *sati-*
Jac. III, 15. *pientiam vocat ψυχὴν, animalem:* unde certò certius constat, vocem ψυχὴν ex usu Scripturæ non opponi rationis judicio, sed potius gratiosę Spiritus sancti inhabitationi.

Ita-

Itaque fixum & stabile maneat, per ψυχήν ἀνθρώπον hīc intelligi hominem, qualis est ante regenerationem sibi suisque viribus relictus, etiam si forte in rebus humanis sit prudentissimus. Negat verò Apostolus, hujusmodi ψυχήν ἀνθρώπον δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τὸ ζῆν, & potius asserit, eum ne quidem illa ipsa posse γνῶντες intelligere, sed esse illa ei stultitiam, stulta & absonta videri. Prius verbum δέχεται non tantum de actu sed & de potentia esse accipendum, monet Dominus D. Musæus, idque vi subsequentium verborum, non potest intelligere, demonstrat, quæ cum manifesto de potentia loquuntur, prioris verbi eandem esse rationem facile patet. Plurimi verò inter hæc duo vocabula δέχομαι & γνωσκων hoc discriminis constituant, quod verbum δέχομαι plus involvat, quam γνωσκων, & verbum γνωσκω quidem simplicem notitiam & intelligentiam rerum spiritualium, verbum verò δέχομαι fidelem assensum importet. Quicquid autem hujus fuerit, certum est Apostolum hoc velle, hominem animalem, qui judicium rationis suæ tantum sequitur, ea, quæ sunt Spiritus Dei & captum rationis nostræ excedunt, non modo non percipere & judicando approbare, sed ne quidem intelligere res ipsas posse, quin si aliquod de hujusmodi rebus judicium sibi formare presumat, falsum illud & stultum fore. Rationem hujus rei Apostolus hanc subiungit: quia SPIRITUALITER DEDUCANTUR, id est, sicut res ipsæ, de quibus judicium est ferendum, supra naturam sunt: ita quoque judicium, si quod de iis ferendum est, spirituale esse & à Spiritu sancto proficiere debet.

S. 22. Ex hoc hactenus explicato aureo Apostoli dicto pro adstruenda nostra conclusione tale formamus argumentum.

Quicunque nec percipere nec intelligere potest ea, quæ sunt Spiritus Dei, is res spirituales distinctè & cum assensu speciali cognoscere non potest.

Atqui homo animalis vel homo nondum renatus nec intelligere nec percipere potest ea, quæ sunt Spiritus Dei.

D. Musæus
disp. 4. deo
conv. cap.
2. §. 50.

Ergo homo animalis vel homo nondum renatus res spirituales distincte & cum assensu speciali cognoscere non potest.

Minor est Pauli citatō locō. Major ex terminis patet: quomodo enim quis alicui rei assensum salutarem, qui alias etiam specialis dicitur, præbabit, quam nec intelligit nec percipit? firmō igitur talō stat orthodoxa nostra conclusio.

§. 23. Sed ad Minorem propositi argumenti aliquis excipere posset, eam non esse simpliciter veram, cum quotidiana experientia testetur, non-renatos etiam, quando S. Scripturam legunt, intelligere posse ex lumine naturæ, quænam sint illa mysteria, quæ scriptura fidelibus credenda proponat. Nonnulli ut ad hanc difficultatem respondeant, omnino negant, non-renatos posse sensum scripturæ assequi, & quid verba importent intelligere: quod tamen, modò linguae sacræ gnari sint, illis denegari non posse videtur, quâ de re videri potest Dn. D. Musæus disp.

4. de convers. cap. 2. §. 44. & seqq. In quâ sententiâ quo-

D.Baldung
Comm. in
1.Cor. II. p.
mibi 303.

que fuisse videtur B. D. Frideric. Baldinus, sic enim ille: *Descriptio hæc est hominis carnalis — de quo duo dicit 1. quid possit — 2. quid non possit. Non potest ea percipere & intelligere, verba quidem audit & INTELLIGIT, sed spiritualem sensum non assequitur.* Licet itaque concedamus, posse hominem animalē verba scripturæ intelligere, nihilominus tamen ex ipso contextu facilis est responsio, modò nervus argumenti Paulini accurate hic observetur: quod enim dixerat, *hominem animalem non percipere, nec intelligere ea quæ sunt Spiritus Dei*, id exinde probat: *quia spiritualiter dijudicantur.* Ex quibus patet, Apostolo & nobis sermonem non esse de apprehensione terminorum simplicium, sed de secunda mentis operatione, quæ alias compositio & divisio dicitur. Quamvis igitur homo animalis & nondum renatus intelligat terminos, sub quibus fidei mysteria proponuntur, & quid illi importent, bene cognitum habeat, hoc tamen saltim est extrinsecum quippiam, cum sit actus quidam intellectus circa externum fidei medium. Ipsa autem ratio forma-

formalis fidei in hoc non consistit, sed potius in assensu speciali, & quæ huic individuō nexus conjuncta est, fiducia. Bre-
viter, sermo h̄c non est de cognitione verborum, sed po-
tius de assensu mysteriis supernaturaliter revelatis præben-
do, quod posterius Paulus, & nos eūm sequuti, homini ani-
mali denegamus, quamvis prius hand inviti concedamus.

§. 24. Alterum argumentum pro vera sententia pe-
timus ex verbis Pauli II. Cor. III. 5. *Non quod in avōi ē& idp̄ II. Cor. III. 5.*
sufficientes (rectius apti vel idonei) simus cogitare aliquid à nobis,
quasi ex nobis, sed n̄ in avōt̄ sufficientia (rectius aptitudo) nostra
est ex Deo. Quod si vi hujus dīcti in rebus spiritualibus ne
quidem bonam quandam cogitationem homo animalis su-
scipere potest, quanto minus poterit bona spiritualia di-
stincte & cum assensu speciali cognoscere: impossibile si-
quidem est, ut aliquis rei cuidam assentiatur ante, quam
de ea cogitaverit. Verūm h̄c Bellarminus ita excipit. *Hic Bellarim. l. 6.*
locus maximè nobis favet: non enim negat nos esse sufficientes, sed de grat. &
negat nos esse sufficientes ex nobis. Continuò enim addit: sed suffi-
cientia nostra ex Deo est. Itaque sufficimus aliquid cogitare, imò 13. col. 912.
etiam velle & facere, sed posteaquam vires à Deo accepimus, & nisi lit. A.
liberi arbitrii effemus, non rectè diceremur non sufficere ex nobis.
Sicut non rectè diceret aliquis, jumentum aut lapidem non suffice-
re ex se aliquid cogitare de Deo. Hæc ibi Bellarminus. Sed
responsio adhanc exceptionem facilis est. Tota enim Bel-
larminiana exceptio nititur vitiosā translatione. In Græ-
co sunt vocabula in avōi & in avōt̄, quæ non significant suf-
*ficiēt̄ & sufficientiam, sed potius aptum & idoneum, aptitudi-
nem, &, si sic loqui fas est, idoneitatem. Unde constat, rectè*
potuisse Apostolum dicere, nos non esse aptos vel idoneos ex no-
bis, licet liberi arbitrii non simus, hoc est, licet liberum nostrum
arbitrium ex se non possit desiderare bona merè spiri-
tualia: hâc enim genuinā vocabuli illius significatione
Paulus liberum arbitrium prorsus negat, ut ad oculum pa-
tet. Deinde illa quoque Bellarmini verba: sufficimus ali-
quid cogitare, imò etiam velle & facere, sed posteaquam vires à Deo
accepimus, ad fucum faciendum videntur esse composita.

C

existi-

17

Existimare enim aliquis possit, ac si Bellarminus hoc intendat, posse hominem post conversionem virtute Spiritus sancti, quem in conversione accepit, Spiritui sancto cooperari, quae sententia orthodoxa est, & si ita verba sua intellexit Bellarminus, extra oleas vagatur & committit erasiam ignorationem Elenchi. Sed Bellarminus videtur hoc velle, quod vires a Deo accipiamus eâ ratione, ut Deus vires in nobis reliquias excitet, quod falsum, & manifestam principii petitionem continet.

§. 25. Synergistæ quoque in hoc dicto sollicitant vocabulum λογίσμῳ, quod dicunt significare ratiocinari, unde sensum hunc esse volunt: quod homo quidem non possit in spiritualibus aliquid decernere, possit tamen aliquid adhuc de iis cogitare. Verum respondemus, non quidem negari, quod verbum λογίσμῳ frequenter significet, ratiocinari, decernere, judicare, sed negamus in hoc dicto significationem illam locum invenire: contextus enim manifestò repugnat, & Paulus id agit, ut omnem efficaciam prædicati evangeli a se removeat & soli Deo vindicet; ad hoc verò probandum producit generalem hanc sententiam: *non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quæ ex nobis, sed aptitudo nostra est ex Deo.* Si verò verbum λογίσμῳ hæc pressè per τὸ ratiocinari redderetur, Paulus non probavisset, quod sibi probandum sumiserat, id quod nemo sanus concederet. Neque etiam hæc significatio verbi λογίσμῳ in scriptis N. T. est inusitata, sed aliquoties occurrit. Confer I. Cor. XIII. 5. II. Cor. X. 7. II. Phil. IV. 8. quemadmodum

& verbum λόγῳ quod Syrus Interpres adhibet, non tantum ratiocinari, sed etiam cogitare significat. Videatur Lexicon Syriacum Frostii & Lexicon Syro-Chaldaicum Büxtorfii.

Epb. V. 8.
§. 26. Tertium pro vera sententia argumentum petitum ex his Pauli verbis: *eratis aliquando tenebre, nunc autem lux estis in Domino.* Ea enim intellectus humani conditio est, ut intellectus agens producat cum phantasmate species.

cies omnium rerum intelligibilium, easque intellectui possibili repræsentet, intellectus verò possibilis species illas intelligibiles distinctè intelligere non potest, nisi accedat lumen aliquod: sive illud sit *naturale*, sive *spirituale*. Paulus itaque denegat in allato dicto intellectui hominis nondum renati lumen aliquod in rebus merè spiritualibus, & contra ei meras tribuit tenebras: at nisi phantasma ab intellectu agente fuerit illustratum, possibilis illud intelligere non potest, Ergò & intellectus humanus spiritualia intelligere nequit, sed hīc reperiuntur merè tenebrae: perinde ut oculus corporis nihil videre valet, si densissimis tenebris sit circumfusus. Porrò Paulus ex opposito docet, renatos esse *lucem in Domino*, satis clarè innuens, spiritualiem lucem requiri, quā naturales intellectus tenebrae dispellantur, & ita novum lumen intellectui hominis affundatur, quō mediante res spirituales salutariter cognoscerre possit. Facilè equidem sententiam nostram de summa intellectus sibi relicti aduaria pluribus argumentis ex ipsa scriptura petitis confirmare possemus, sed brevitatis studiō pedem hīc figimus & Lectorem plura cognoscendi cupidum ad alios remittimus. Videri enim & consuli possunt Beati ecclesiarum nostrarum Doctores: Chemn. loc. Comm. loc. 6. de viribus humanis cap. 5. Idem in Exam. Conc. Trid. pag. mihi 131. Gerhardus, Theologus celeberrimus, in Loc. Comm. tom. 2. loc. 14. cap. 4. & in disp. Isagogicis disp. 27. cap. 4. Hutterus Locis Majoribus 1. 7. de lib. arb. cap. 2. Meisnerus Anthrop. sacræ decad. 3. disp. 2. quæst. 5. Ægidius Hunnius tract. de lib. arb. pag. 11. seqq.

§. 27. Quod autem priorem de voluntate hominis nondum renati quæstionem attinet, possemus in ea probanda operæ parcere, cum negativa ex præcedentibus manifestior sit, quām ut probationem ulteriorem desideret. Constat enim inter omnes, voluntatem in appetendo sequi cognitionem intellectus, vel certè eam præsupponere. Clarum verò est ex præcedentibus, intellectum naturaliter circa bona merè spiritualia cœcum esse & nihil planè in-

C 2 tel-

52
telligere. Unde sicut intellectus bona merè spiritualia voluntati non potest proponere : ita quoque voluntas naturaliter in hæc bona tendere eaque amplecti nequit. Sed cum videamus, à plerisque voluntatis quoque rebellionem distinctè esse probatam, nos, eorum ductum sequuti, unum & alterum argumentum in medium proferemus, plura deferantem ad Autores sub finem §. præcedentis citatos amandantes.

Gen. VI. 5.

II X. 21.

§. 28. Primum autem ex verbis Dei Gen. VI. 5. & Cap.

IIX. 21. *Cogitatio cordis humani tantum mala est omni die, ab adolescentia sua,* ita argumentamur :

Cujuscunque cogitatio tantum mala est omni die ab adolescentia sua, ejus voluntas est à Deo aversa & ad malum conversa, & per consequens, non potest bona merè spiritualia ex se efficaciter velle & desiderare.

Atqui hominis nondum renati cogitatio tantum mala est omni die ab adolescentia sua.

Ergo hominis nondum renati voluntas est à Deo aversa & ad malum conversa, & per consequens, non potest bona merè spiritualia efficaciter velle & desiderare.

Major probatur ex eo : quia sicut arbor cognoscitur ex suis fructibus, ita quoque voluntas hominis ex suis operacionibus : & sicut impossibile est, ut arbor mala bonos profert fructus, pari quoque ratione fieri nequit, ut voluntas hominis, quæ tantum mala est omni die ab adolescentia sua, ullò unquam modò tendat in bonum merè spirituale, & illud ex se efficaciter velit & desideret ; sed potius aversa est à Deo & ad malum conversa. Minor est scripturæ locis citatis, adeoque probatione non indiget; conferri tam

Rom. IIX. 7. men potest dictum Pauli: Φέγνα τῆς σωκός sapientia carnis, hoc est, quicquid homo nondum renatus cogitat, vult & desiderat, inimicitia est adversus Deum. In dictis quoque illis Mosaicis vel maximè observanda est singularis emphasis latens in voce קָרְבָּן quæ hic redditur per cogitationem, ab a-

llis

Ilis per segmentū, & descendit à radice יִצְחָק, quæ propriè quidem significat, finxit, formavit instar figuli; metaphoricè vero, (quæ significatio hīc obtinet) denotat, observante Schindlero in Lexico πενταγλωτώ, finxit mente, cogitavit, ex-cogitavit, imaginatus, meditatus, commentus fuit, desideravit, concupivit. Itaque significatur hāc voce יִצְחָק, quod quicquid ratio humana cogitando commentari & voluntas desiderando concupiscere potest, tantum malum sit ab ineunte adolescentia omni tempore.

§. 29. Alterum argumentum formamus ex sequentibus Pauli dictis, qui Eph. II. 1. inquit: *& vos convivisca-* Epb. II. 1. *vit, quum essetis mortui delicti & peccatis vestris:* & iterum Co- Col. II. 13. *lossi. II. 13. Et vos, cùm mortui essetis in delicti & præputio car-*
nis vestrae, conviviscavit cum illo, donans vobis omnia delicta.
Ex his Pauli verbis tale necimus argumentum:

Qui spiritualiter est mortuus, is destitutus omnibus viribus spiritualibus, & per consequens, non potest bona merē spiritualia EX SE efficaciter velle & desiderare.

Atqui homo nondum renatus spiritualiter est mortuus, teste Paulo locis allegatis.

Ergo homo nondum renatus destitutus omnibus viribus spiritualibus, & per consequens, non potest bona merē spiritualia ex se efficaciter velle & desiderare.

Majoris certitudo vel inde patet, quod, quemadmodum mortuus morte naturali nullam amplius habet potentiam ad exercendos actus vitales: ita quoque mors spiritualis importat totalem parentiam omnium virium spiritualium ad exercendos pios actus circa bona mere spiritualia. Unde recte Fqrm. Concord. *Sicut homo, inquit, qui Form. Cons. corporaliter mortuus est, seipsum propriis viribus præparare aut in deo. solid. accommodare non potest, ut vitam externam recipiat: ita homo de lib. arb.* spiritualiter in peccatis mortuus seipsum propriis viribus ad con- pag. 658.
sequendam spiritualem & cælestem justitiam & vitam præparare,
applicare aut vertere non potest: nisi per Filium Dei à morte pec-
cata liberetur & vivificetur.

17

§. 30. Victorinus Strigelius, ut hoc argumentum c-
luderet, distinctione utebatur inter mortem pœnæ, culpæ,
Diss. Vina- & inter mortem aliquid operandi aut cooperandi. Con-
riens. seß. 2. cedebat, hominem quoad pœnam & culpam esse mortuum,
pag. 28. 29. tertiam verò mortem negabat. Verba ejus ita se habent:
Homo est mortuus, quod attinet ad liberationem à peccato & mor- te eterna, ab ira Dei & maledicto legis, & à tyrannide diaboli, & si quid præterea regno diabolico est affine & cognatum. — *Quod ad prop- prietatem intellectus & voluntatis attinet, homo non est simpliciter mortuus, sed secundum quid. Est simpliciter mortuus respectu libera- tionis à peccato & morte.* — *hæc simpliciter vera sunt & nullam correctionem admittunt.* Sed quod ad proprietatem, qua est inseparabilis à substantia hominis, ea non est simpliciter mortua. Sed distinctionem hanc esse confitam & robur nostri argumen- ti non modò non infringere, sed potius confirmare, manifestum evadet, si paucis ostenderimus, in quonam sita sit mors virium spiritualium, item mors culpæ & pœnæ, prout Strigelius appellat. Mors virium spiritualium est amissio omnium virium spiritualium, per quam inepti redimur ad actiones spirituales legi divinæ conformiter in- stituendas. Mors culpæ, est nihil aliud, quam reatus ex transgressione legis proveniens & nos iræ divinæ reos constituens. Mors denique pœnæ, complectitur ipsam æ- ternam damnationem & reliqua mala, quæ transgressio- nem legis consequita sunt. Cœcus verò sit qui non vi- deat, mortem hanc pœnæ & culpæ, mortem virium spiri- tualium præsupponere: nisi enim homo amisisset vires per- fectam legi obedientiam præstandi, nec mors culpæ nec pœnæ locum invenirent: adeoque Strigelius agnoscendo mortem culpæ & pœnæ, necesse est admittat etiam mortem virium spiritualium, cum hæc sit fons & origo omnis mali. Quin contextus liquidò ostendit, de quanam morte Paulo loc. cit. sermo sit. In primo enim capite ostendit Aposto- lus, quomodo Deus Ephesios suos in vitam spiritualem re- vocaverit, nempe vires spirituales reddendo, illuminando oculos mentis ipsorum, in voluntate spem hereditatis cœlestis ex- citan-

citando, atque per eandem potentiam in iis operando, quam exercuit in Christo à mortuis excitando. Eadem jam capite secundo repetuntur & vers. 1. dicit Apostolus, fuisse Ephesios mortuos delictis & peccatis suis: vers. 2. & 3. statim subjungit, in quonam consistat mors illa, nempe in desideriis carnis & in vita juxta seculum hujus mundi instituta. vers. 4. subjicit remedium, quod nimurum Deus ipsos pro immensa sua misericordia in Christo vivificaverit: vers. 10. addit: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Ex contextu igitur & oppositione, quæ in eo occurrit, constat, Paulus hic non esse sermonem de morte culpæ & poenæ, ut voluit Stirgelius, sed de morte, quæ importat privationem omnium virium spiritualium.

§. 31. Sed fatis multa pro instituti nostri ratione videamus adduxisse argumenta veram sententiam confirmantia: restat, ut pedes arctius constringamus, & porrò etiam, quomodo igitur intellectus & voluntas in conversione sese habeant, & quâ ratione Spiritus sanctus conversionem in homine operetur, paulò distinctius & diligentius scrutemur: hoc vero jam opus, hic labor est! *In soluzione hujus difficultatis infeliciter occubuit Augustinus.* Omnes homines sunt naturâ pares, omnes sunt inepti ad spiritualia: quenam igitur causa est, propter quam quidam salvantur, quidam vero damnantur? Nam causam hujus diversitatis quæsivit in Deo & in diversitate gratiae. — Sic etiam in eadem area cespitasse videtur Philippus, dum rectè quidam causam diversitatis quæsivit non in Deo, sed in hominibus: veruntamen ita, ut justos transfliret orthodoxia & sacra Scriptura terminos. Cum eam querere debuisset tantum, 1. in externo mediorum salutis usu. 2. in resistentia affectata ipse progressus longius quæsivit etiam 3. in viribus voluntatis vel liberi arbitrii, quas quivis abhuc in spiritualibus habeat. Atque hinc voluntatem tertiam fecit conversionis causam: ut optimè monet Vir Maximè Reverendus, Amplissimus atque Excel- lentissimus Dn. Christianus Chemnitius SS. Theol. D. Prof. ejusdem in florentissima hac Salana Publ. celeerrimus, Pa- stor item ac Superintendens vigilansimus, Dominus Prä- ceptor diff. 3. §. 4.

D. Chemnit.
in colleg.
Theol. super
Form. Conc.

117

ceptor & Patronus meus omni honoris cultu prosequen-
Scalig. de-
dus. Evenit igitur summis hisce viris, Augustino & Philip-
subtil. ad po, quod iis, qui in limo utrumque crus impactum habent. Quò
Card. exerc. namque sese alterutro expedire enixiūs conantur, eò fortius ac
307. sect. 28. profundius alterum defigunt.

§. 32. Ne igitur Charybdim vitantes in Scyllam in-
cidamus, observandum, nobis hīc loci non esse sermonem
de quotidianis hominum renatorum fidei exercitiis, sed de
conversione incredulorum v. g. Ethnicorum, Judæorum &
Turcarum, ad Deum. Deinde, ante omnia constituendum
erit, qualisnam actus sit conversio? an instantaneus, an ve-
rò successivus? Quamvis verò non desint, qui, ad facilitius
superandas à Synergistis objectas difficultates, statuant,
conversionem esse actionem instantaneam, nostrum tamen
calculum, certis rationibus adducti, illis adjicere non pos-
B. Dn. D. sumus, sed potius cum **B. Dn. D. Gerhardo**, Theologo de
Gerb. Loc. Ecclesia Christi optimè merito, dicimus: *Conversione non est*
Theol. Tom. *talis mutatio, que unō momentō statim omnibus suis partibus per-*
2. loc. 14. de *ficiatur & absolvatur, sed habet sua initia, suos progressus, quibus*
lib. arb. cap. *in magna infirmitate perficitur.* Cùm enim non solùm ipsa
10. §. 126. conditio Scripturæ sacræ, tanquam conversionis ordinarii
medii, id exigere videatur, sed etiam experientia testetur,
voluntatem hominis nondum renati Spiritui sancto posse
resistere, consequens est, conversionem non subitò & in
momento fieri, sed potius sua habere incrementa. Do-
cent id quoque exempla eorum, qui olim ad fidem Chri-
sti conversi sunt: in quibus admodum illustre est exem-
plum **B. Augustini**, nec minus lucis habet exemplum **Chri-**
stiani Gersonis, qui exente superiori seculo, è Judaismo
conversus, Christo nomen dedit, citatum à **B. Dn. D. Ca-**
lixto, Theologo accuratissimo, in Exerc. de auctorit. S. Scrip-
turæ & numero libb. canon. §. 40. Quæ exempla rectius
naturam conversionis declarant, quam mille vel plures
rationes. Nos brevitatis studiō integra illa adscribere no-
luimus, sed saltim quæ huc præprimis facere videntur pas-
sim inspergemus.

§. 33. Cum

§. 33. Cùm igitur conversio initia sua & progressus
habeat, initium ejus cum Formula Concordia constitui-
mus in eo, quòd Deus per verbum aperit cor hominis, hoc est, *For. Con.*
Spiritus sanctus inspirat, mediante verbō, hominis intelle- pag. 580
qui sanctam cogitationem de rebus merè spiritualibus, &
excitat pium desiderium in voluntate hujusmodi bona ac-
quirendi. Talis cogitatio sancta inspirata fuit S. Augu-
stino, dum studiosè audiret *S. Ambrosium disputationem in populo* *August. lib.*
non intentione, quā debuit, sed quasi explorans ejus facundiam. *s. Confess.*
— Rerum autem & incuriosus & contemtor astabat. — Sed ve- cap. 13. 14.
niebant simul in animum ejus cum verbis, qua diligebat, res et-
iam, quas negligebat, — gradatim quidem. Nam prīmo Catbo-
licam veritatem defendi posse ipsi iam coperat videri, nondum ra-
men viētrix apparuit. Eādem prorsus ratione Christianus
Gerson, cùm à muliere quadam paupercula pignori accepisset
codicem Novi Testamenti Germanici à Lutherō conversi, presenti-
bus duobus affīnibus suis, ut cognosceret, quisnam ille tam efficax er-
ror esset, qui tot animarum myriades seduceret, & in exitium pre-
cipites daret, totum perlegit, non sine blasphemias. Interim tamen
percellebatur cor ejus. Neque enim hæc sancta cogitatio fuit
sine pio desiderio voluntatis. Augustinus enim fortiter intendit
animum, si posset certis documentis Manichaeos convincere fal-
situdinis. Fluctuans ergo Manicheos relinquendos esse decrevit, &
statuit, tamdiu in ecclesia Catholica catechumenus esse, donec ali-
quid certi eluceret. Christianus verò Gerson cùm animad-
vertisset Evangelistas & Apostolos & Christum ipsum roties ad
vetus testamentum provocare, & subinde loca alia post alia ex eo
adducere, illectus fuit, ut denuo legeret, clanculum quidem, nemine
consciō, ne quidem uxore suā, & ut loca adducta cum ipso Veteris
testamenti textu contenderet. In hoc conversionis initio
homo se habet merè passivè: excitatur enim pium hujus-
modi desiderium in homine audiente vel legente verbum
Dei subito, cum nihil tale cogitat vel suspicatur, ut in
hominis potestate non sit hujusmodi motus antevertere:
sicut alias in hominis potestate est, motus voluntatis deli-
beratos eludere: & hoc est, quod dicunt Nostrates, volun-
tatem

D

tatem

17

tatem hominis in conversione se habere merè passivè: hoc enim necessariò restringendum est ad conversionis initium, ubi motus à Spiritu Sancto , mediante verbō , adeo subitò oriuntur , ut impossibile sit hominem ad producendos hujusmodi actus Spiritui Sancto cooperari : & hæc ab Augustino dicitur gratia præveniens , præcedens , antecedens . Hactenus de conversionis initio .

S: 34. Quid verò de progressu conversionis sentiendum sit, & num ibi quoque homo se pùrè passivè habeat, an verò Spiritui sancto cooperetur, malo B. Dn. D. Chemni-

Chemni LL. tii quām meis verbis declarare. Sic autem ille. Non co-
Com.Theol. gitandum est: sècurā & priosā voluntate expectabo, donec renova-
Tom. i. loc. tio seu conversio — operatione Spiritus Sancti sine meo motu ab-
6.de lib. arb. soluta fuerit. Neque enim in puncto aliquo mathematico ostendi
cap. 7.

poteſt, ubi voluntas liberata agere incipiat. Sed quando gratia præveniens, id est, prima initia fidei & conversionis homini dantur, statim incipit lucta carnis & Spiritus, & manifestum est, illam luctam NON FIERI SINE MOTU NOSTRÆ VOLUNTATIS — item in principio desiderium est obscurius, affeſio languidior, obedientia te-
nuior, & illa dona oportet crescere in nobis. Crescunt autem in nobis, non sicut truncus violentò impulsu propebitur, vel sicut lilia non laborantia , non curantia crescunt: sed conando, luctando, pulsando, querendo, petendo — Quæ ergo de gratia præveniente, præparante & operante traduntur, habent hunc sensum, quod non nostra partes priores sint in conversione; sed quod DEUS per verbum & afflatum divinum nos præveniat movens & impellens voluntatem; POST HUNC autem MOTUM voluntatis divinitus fa-
rum, voluntas humana se non habet purè passivè, sed mota & ad-
juta à Spiritu sancto non repugnat, sed assentiit, & fit cùveey &
Dei &c. Hactenus Chemnitias. Ex quibus sole meridiano clariū elucescit B. Chemnitii, quem nos meritò sequimur, mentem esse, in progressu conversionis hominem se non habere purè passivè, sed gratiā præveniente excitatum Spiritui sancto viribus ab eodem concessis cooperari ; do-
nec conversio omnibus suis numeris absolvatur. Eandem

Form. Conc. sententiam proponit Form. Concordiae. Quamprimum, in-
quit,

quit, *Spiritus sanctus per verbum & sacramenta opus suum regit in dicto. generationis & renovationis inchoavit, tunc revera PER VIRTUTEM huc pag. 674.*
SPIRITUS SANCTI cooperari possumus & debemus: quamvis multa adhuc infirmitas concurrit. Hoc vero ipsum, quod cooperamus, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex nonis illis viribus & donis, quae Spir. S. in conversione in nobis inchoavit. Hoc ipsum quoque confirmant exempla superius adducta: Augustinus siquidem cum statuisse manere in Ecclesia catechumenus, perrexit ad Simplicianum, eique mentem suam exposuit: qui cum ipsis narrasset, quomodo Victorinus Professor Rhetorices esset conversus: exarsi, inquit Augustinus, ad imitandum, sed velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam 8. Conf. 6. s. fecerat & constrinxerat me. — Voluntas autem nostra, que mihi esse coperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad separandam priorem, vetustate rororatam. — Sic intelligebam meo experimento, quomodo ex erro concupiscat adversus Spiritum. — Ita cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatus expurgandi volentium: qui tam superati soporis altitudine remerguntur. — Non erat quida tibi responderem, dicenti mihi: Surge, nisi tantum verba lenta & somnolenta, Modo; ecce modo, sine paululum. Sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum in longum ibat &c. & iterum: Sic egrotabam & excruciarab, — & instabas tu in occultis meis Lib. 8. Com. is Domine, — dicebam apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et fess. cap. 11. cum verbo jam ibam in placitum, de proximo stabam & respirabam. — Oborta est procella ingens lacrymarum. Usque quod Domine, cap. 12. quamdiu? quamdiu cras & cras? quare non modo, quare non habet horum? ecce audio vocem tolle, lege &c. Christianus itidem Gerson: cum denuo, inquit, novum testamentum evolvissem, & loca ab Evangelistis & Apostolis adducta cum ipso Veteris Testamenti textu contenderem, tanta lux mihi illuxit, ut eō nomine aeternas Deo debeam gratias. Quum autem cogitationes meas venimi, & ne coniugi quidem, dregere auderem, & præterea, cura uxoris, liberorum, reig, familiaris, & varietas sectarum, que inter Christianos deprebenditur, animum meum turbarent & distriberent, per integras XIV. septimanas adeò angebar, ut nec esca nec

17
potus saperent, nec quietum somnum caperem, donec pro sua benignitate & clementia Deus animo meo intidit, ut reliqua patria & cognatione mea in dicionem Brunsuicensem me conferrem, ibique sacram Baptisum peterem. Hæc ipsis conversorum verbis aliquanto fusi exponere placuit, eò quod præsentem materiam apprimè declarare videbantur.

¶. 35. Neque est, ut quis objiciat, eandem fuisse doctrinam Synergistarum, qui toties ingeminabant, hominem non converti, ut lapidem & truncum, sed oportere ipsum assentiri verbo prædicato, si debeat fieri conversio. Verum enim verò nihil nobis commune est cum Synergistis: illi enim, ut sequenti capite ex instituto monstrabimus, facultatem assentiendi tribuebant naturalibus intellectus & voluntatis proprietatibus, vel, ut Strigelius loqui amat, modo agendi. Nos verò, ut ex antecedentibus patet, defendimus, quod facultas illa assentiendi unicè & in solidum ex gratia Spiritus Sancti homini obtingat. Quod ipsum sicut & reliqua, quod clariora evadant, obsignabimus hanc doctrinam geminò dictō summorum olim in Ecclesia Dei Doctrinum: alterò quidem S. Augustini, qui ita insit: Intelligent filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi: ut, quod agendum est, agant, ut cum egerint, illi, quod aguntur, gratias agant, NON UT IPSI NIHIL AGANT: alterò B. Dn. D. Calixti, qui prout solet accurate in hanc rem scriptis: Quum dicimus Deum donare & imperire facultatem & vires, Pelagianismum declinamus: quum addimus: per annunciatum & auditum evangelium, Enthusiasmos repudiamus: denique quum adjuvimus, necessitatem non imponi, fatum vel absolutum divinum decretum negamus, & hominibus libertatem, quæ ipsis competit, conservamus. Annunciatò videlicet evangelio possunt credere; possunt etiam non credere. Quod possunt credere, Evangelio & Spiritui S. per id operanti debetur: quod tamen etiam possunt non credere, inde est, quod Spiritus sanctus per absolutam suam potentiam, cui nemo resistere valeat, non operatur; sed ad ordinem quendam & conditiones se demittit; & quod in homine connata pravitas adhuc residua nec penitus sit extinta vel prorsus extincta. Hac nobis sufficient nec arcana opera-

Calixtus in-
tract. de pa-
lio. §. 30.

rio.



tionis divine, quā per evangelium & fidem nos regenerat, nimis
curiosè scrutemur, vel accumulatis subtilitatibus involvamus.

CAPUT TERTIUM

In quo.

Errores circa præsentem materiam

enumerantur.

S. 36.

Confirmata hæc enus, quantum satis esse videbatur, verâ sententiâ, erroreꝝ circa præsentem materiam sententiaꝝ breviter adducendâ & expendendâ erunt. Manes Persa seu Manichæus hæreticus circa Annū Christi 271. Imperatore L Domitio Aurelianō omnem libertatem arbitrii sustulit, & cuncta farali atque inevitabili necessitate fieri, blasphemô ore contendit. Hanc impiam sententiam circa annum Christi 405. imperantibus, Arcadiō in oriente, Honoriō verò in occidente, Pelagius Brito Monachus, vir, si hæresin demas, cætera doctissimus, disciplinâ amans & flagitosam Christianorum ignaviam summopere detestans, confutaturus, in oppositum errorem prolapsus est, & vires liberi arbitrii nimium extulit. Ansam erroris ipsi præbuuisse creduntur laxiores quædam veterum loquutiones, qui ante exortos gratiâ inimicos contra Manichæos disputantes securiùs fuerant loquuti. Pelagius autem peccatum originu prorsus negavit: porro, quemadmodum refert S. Augustinus, humanam naturam tantum valere dixit, ut suis viribus, in origine creationis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante illius gratiâ, qui creavit, domare & extinguere omnes cupiditates, tentationesque supremæ. Hæc ejus hæresis cùm multos cordatos & eruditos in ecclesiâ viros ostendisset, in pluribus synodis seculi post Christum natum quinti est damnata, videlicet Carthaginensi, quam liber Conciliorum videtur V. appellare: Milevitana, cui interfuit, vel, ut alii volunt, præfuit S. Augustinus, quæ 8. anathemata contra Pelagium evibravit: Palestina & Araniscana II. de quibus pluribus videri potest

August. lib.
de hæref. ad
Quodvult-
deum her.
ult. & E-

pist. 95.

D 3

B. Dn.

D. Gesnerus B. Dn. D. Gesnerus. Illud tamen adhuc observandum
de conc. lib. videtur, Pelagium, cum ad objecta à Synodo Palæstinæ ita
respondeisset, ut ab errore suo recessisse, & ad orthodoxam
sententiam rediisse videretur, catholicum sive recte senti-
entem pronunciatum esse. Anathema enim Pelagius dixit
illi, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, quâ Christus in
mundum venit peccatores salvos facere, non solum per
singulas horas, sed etiam per singula momenta, & per sin-
gulos actus nostros non esse necessariam. Rejecit quoque
eorum errorem, qui docent, gratiam Dei dari secundum
nostra merita. Verum ambiguitate vocabuli *gratia* Pa-
tribus illius synodi turpissimè imposuit, quod S. Augustinus
& alii orthodoxi Patres mature subodorati & propterea
conquesti sunt, quod synodus illa Palæstina verbis Pela-
gii damnabili quâdam simplicitate nimis citò fidem ha-
buisset, neque postulasset ab eo, ut, qualem gratiam intelli-
geret, clarius exponeret, & libros antea à se conscriptos
damnaret & rejiceret, quod scandalum omne præcaveretur,
& plurimi, qui hæresi Pelagianâ erant infecti, in viam re-
ducerentur. Utebatur autem Pelagius in doctrina de libero
arbitrio distinctione inter rō Posse, rō VELLE & rō ESSE.
Per Posse intellexit ipsas animæ facultates, intellectum &
voluntatem. Per VELLE intellexit actus animæ elicitos,
quibus in faciendam Dei voluntatem propendet. Per ES-
SE verò ipsam executionem eorum, quæ homo vult & desiderat, denotare voluit. rō POSSE Pelagius retulit ad Deum,
qui illud in prima creatione creaturæ suæ contulerit: rō
VELLE in libero hominis arbitrio: rō ESSE verò in affectu po-
suit. Quando igitur Pelagius rejicit eos, qui dixerunt gratiam
Dei dari secundum nostra merita, per gratiam in-
tellexit ipsum Posse sive intellectum & voluntatem, qui-
bus Deus in prima creatione VELLE & ESSE contulerit. Si-
militer quando anathema dixit illis, qui negarent, gratiam
Dei esse necessariam, per gratiam Dei intellexit, legem &
doctrinam: docuit enim Pelagius Deum adjuvare homines
per doctrinam & revelationem suam, quod negaverant En-

thu-

17

thufiaſta. Hæc autem Pelagii verba: Deum adjuvare homines per doctrinam & revelationem, poſſunt dupli‐citer intelligi: priuilegium Deum nos adjuvare per verbum, tantum per hoc, quod verbum homini proponit & repræſentat ea, quæ credenda & agenda ſunt, quæ mens Pelagii fuit. Secundum potest hoc intelligi, quatenus Spiritus sanctus peculiari & ſupernaturali modō operatur per doctrinam, & in homine veram fidem accendit, ut illis, quæ prædicata ſunt, ſalutarem affenſum præbeat. Hæc posterior explicatio orthodoxa eſt, quam Pelagius, priori admisſa, per negavit. Videantur de hæreſi Pelagiana B.Dn.D.Lucas Oſiander Epit. Hist. Ecl. cent. 5. lib. 1. cap. 31. 32. 33. Clariss. Voffii hist. Pelag. & Inſtructions Historico-Theologicae D. Johannis Forbesii à Corſe lib. octavo per totum.

S. 37. Quamvis verò Pelagius multos inveniret diſci‐pulos & affieclas eruditione & autoritate præſtantem, tamen cum ipſius hæreſi, ut accepimus, à multis synodis damnata & à pluribus orthodoxis Patribus, in primis verò S. Augustino, magnō animi zelō eſſet conſutata, paulatim deſcreſcere coepit. Inventi nihilominus ſunt, qui vivō adhuc Auguſti no exiſtimarent, ipſum nimiō fervore contra Pelagium age‐re & controverſiam illam præterquam res ipſa poſtularer, exagitare. Mortuō verò eodem S. Augustinō prodierunt, qui non tantum ex eo capite ipſum aperte oppugnarunt, quod contra Pelagium diſputando ad abſolutum decretum pro‐lapsus videretur, ſed & eō nomine ſcripta S. Auguſtinī ſuſpe‐cta reddere conati ſunt, quod vir Sanctus, dum totam con‐verſionem in unius Dei gratiam contulifſet, liberum arbitri‐um evacuafſet & planè ſuſtulifſet. Exiſtimabant enim qui‐dam ministri eccleſia Gallicanæ, quorum Antesignanus fuit Johannes Caſſianus eccleſia Maſſiliensium presbyter, non nihil libero arbitrio eſſe relinqueſum, & in eo quidem à ni‐mis crassâ Pelagii hæreſi reſeſſerunt, quod confeſſerint ho‐mines naſci cū peccato originali, & indigere auxiliō gratiæ id eſt, auxiliō gratiosè cooperantis Spiritus sancti, nihilomi‐nus tamen in eo ad partes Pelagi proximè acceſſerunt,

quod

quod affirmarunt hominem in se suisque viribus naturalibus habere aliquem bonum conatum, bonum aliquod desiderium, affectum credendi, initium fidei & conversionis; sed hominem non posse ullum bonum opus absque auxilio gratiae divinae perficere. Adeoq; illi conversionis initium tribuerant viribus liberi arbitrii, ejus vero complementum gratiae divinae, (quanquam Cassianus sibi ipsi non constiterit: modò enim voluntatem prævenire gratiam Dei, modò vero voluntatem à gratia præveniri statuit) & propterea, quoniam dimidiam quasi Pelagii sententiam amplectebantur, nomen Semi-Pelagianorum invenerunt. Quam ipsorum opinionem, licet à Synodo Arausicana esset cōdemnata, postmodum plurimi ex Scholasticis defendendam suscepserunt. Videatur omnino B. Dn. D. Chemnitius part. i. LL. loc. 6. cap. 8. sub finem.

§. 38. Similem si non prouersus eundem errorem hodie defendunt Pontificii, docentes hominem habere vires liberi arbitrii ad bona spiritualia, sed eas quasi laqueis quibusdam per peccatum originis esse implicatas, ut se exerere non possint, quando autem gratiā Spiritus S. impedimentum fuerit remotum, per vires etiā liberi arbitrii insitas hominem converti. Concilium Tridentinum sessione 6. non nullos de libero arbitrio format canones, & totidem anathemata bruta ejaculatur, sed canones illi ita obscurè & ambiguè concepti sunt, ut quis illorum sensus esse debeat vel hariolādo difficulter quis assequi possit: disciplina enim est illis, qui errorum sibi consciī sunt, ut sententiam suam verbis hujusmodi proponant, quibus deinceps sensum, quem velint, affingere possint, ne videlicet veritas patescat & falsitas agita aliis exosa reddatur. Andradius tamen,

Chemn. in qui conciliabulo Tridentino interfuit, citante B. Dn. D. *exam. Cone.* Chemnitio, suam & concilii mentem his verbis majori cum *Trid. part. i.* perspicuitate proponit. *Liberum arbitrium*, inquit, *sine inspi-*
p. mibi 130. ratione & auxilio Spiritus non potest sanè efficere spirituales actiones, *sed illud non ideo sit, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate, ante conversionem prouersus non habeat ullam*

pp.

17

potentiam, ullas vires aut facultates, que ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones necessariae sunt: sed ideo, quia naturales illae vires & facultates, licet nec delecta nec extincta, adeo tamen peccatorum laqueis implicatae sint, ut homo non possit se propriâ virtute extricare. Quam sententiam ut declarat, liberum arbitrium comparat homini ferreis soleis devincto, homini agroto, aviculae funiculo alligate, igni ligna comburenti: ex quibus similitudinibus non potest non sequi vires liberi arbitrii non esse amissas, sed saltim per peccatum impeditas, vel Spiritum Sanctum hominis naturales vires, sicuti debiliores sint, confirmare & restaurare: vel denique concursum Dei generalis sufficere ad actiones spirituales. Videt ergo benivius Lector, positâ hâc Andradii explicatione, eam fuisse Partculis concilii Tridentini mentem, quam nos initio hujus paragraphi proposuimus.

S. 39. Novimus equidem famosum illum Jesuitam Bellarminum gravem dicam impegitse B. Nostro Chemnitio, eumque de calunnia postulasse, eo quod in examine Cqnc. Trid. scripferit: *Catholicos (Pontificios) in ea sententia esse, ut liberum arbitrium per gratiam excitatum exerat vires, & de gratia quas habebat etiam antequam excitaretur, & per illas suas vires & lib. arb. vocationi divine conseniat: ita ut gratia præveniens non tribuat cap. 13. col. vires libero arbitrio, sed quasi sopitas exciret. At non hoc sentiunt 910. lit. D. & Catholicci (inquit Bellarminus) sed agnoscunt quidem, liberum arbitrium in homine etiam antequam cum Gratia divina præveniat,* quia liberum arbitrium est res naturalis, que per peccatum non amittitur: sed tamen non dicunt nec sentiunt, liberum arbitrium habere EX SE POTENTIAM ULLAM saltem PROXIMAM ad actus pietatis, sed eam accipere à Deo per gratiam prævenientem. Agnoscamus hic candorem Jesuiticum, qui annon sibi met ipsi in his verbis contradicat judicent alii, qui emunctioris nasi sunt. Consideret quis modò verba Andradii superius adducta & manifestū erit, Bellarminum nullō B. Chemnitii meritō in ipsum hīc debacchari. Verba Bellarmi & aliorū primō quidem intuitu satis speciosa videntur, & sine scrupulo acciperentur, si non ab illo, quorum sensus notus est, dicerentur; ve-

E rūm

rum si diligentius illa consideramus, appareat, quod ad falso
tendum incautum lectorem sint composita. Quin ipse Bel-
larminus mox hypocriticæ hujus confessionis videtur esse

Bellar. l. 6. oblitus: ita enim paulo post: *HOMO ANTE OMNEM GRATIAM* liberum habet arbitrium non solum ad opera naturalia &
de grat. & lib. arb. cap. moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia. Hæc est
15. col. 917. conclusio ejus prima. Conclusio secundâ: *Habet homo,*
lit. B. *inquit, ANTE OMNEM GRATIAM potentiam REMOTAM ET*

lit. C. *IMPERFECTAM ad opera pietatis facienda.* Quomodo hoc ve-

Col. 918. lit. A. B. lit. *lit. intellectum, paulo post ostendit, dum ad dilemma B.*

Chemnitii: *Aut habet homo ex se alias vires quamvis exiles,*
aut nullas omnino. Si habet alias, ergo potest aliquid sine Deo,
contraria illud Joan. 15. sine me nihil potestis facere. Si nullas, igitur
extinctum est liberum arbitrium, neque gratie cooperari potest, ex
præcedentibus conclusionibus ita respondet: Habet (homo)
potentiam remotam & vires imperfectas, & ideo nihil per se potest,
sed se perficiatur ea potentia, & vires addantur, poterit multa præ-
stare. Et paulo post: Liberum est arbitrium, inquit, sed e-
jus libertas (quomodo hæc convenienter cum iis quæ paulo ante produximus?) EST QUASI LIGATA ET IMPEDITA; sol-
vitar autem & expeditur, cum potentia proxima ad operandum per
Dei gratiam prevenientem ei confertur: Simile aliquid experimur
in potentia videndi: nam absente specie sensibili habet homo po-
tentiam & libertatem videndi: non enim ea species causa est libertatis
aut potentie videndi, tamen potentia remota est & libertas ligata (en acumen viri!) donec accepta specie potentia
perficiatur & in actum prodire possit. Eat nunc Bellarminus &
seipsum mendacii, vel, si mavis, calumniæ, non autem B.

Nostrum Chemnitium insimulet. Possemus quidem hic
multo plura testimonia afferre, nisi brevitatè esset studēdum.
Videri interim de iis potest Conf. Catholica B. Dn. D. Ger-
hardi in hoc ipso loco. Et quamvis Pontificii nonnunquam
videantur nobiscum loqui, in re ipsa tamen quam longissime
à veritate aberrant.

ὅμοια μὴ λαλῶσιν, ἀνόμοια δὲ φεγγώσι.

Quin etiam ipsi Pontificii haud leviter ab invicem dissentunt.

7

unt. Unicum hanc in rem observasse sufficiat. Bellarmi. Bellarmi.
nus enim, & qui cum sequuntur docent, quod gracia excitans &c. de grat.
interna necessariò precedere debeat hominis conversionem sive ab & lib. arb.
infidelitate ad fidem, sive à peccato ad justitiam, neque sufficiat gra- cap. 15. col.
tia adjuvans. Alii verò inter illos existimant, sufficere exter. 918. lit. B.
nam excitationem per evangeliū prædicationem vel lectiōnem, cum
auxilio Dei concorrente ad eliciendum etiū conversionis. Ex
quibus omnibus satis apparet, Pontificis quidem interdum
subvereri sententiam veterum Scholasticorum liberè pro-
pugnare, nervos tamen ipsos sententiæ illius, adhibitis tan-
tummodo verbis mitioribus, mordicus retinere.

§. 40. Restat ut pauca quædam addamus de errore
Synergistarum, qui superiore seculo innotuerunt. Quid au-
tem illi senserint ut exponamus, magna nobis objecta esse
videtur difficultas: adeo enim illi & quidem studio mentem
suam involvebant, ut non tantum viri doctissimi ejus ætatis
de eo conquererentur, sed etiam declaratio, quam Victorinus
Strigelius Vinariæ in carcere conscripsit, pro orthodo-
xa fuerit agnita, & Pastores Thuringiæ ad subscribendum
cogerentur, ejectis illis in exilium, qui subscriptionem de-
negarent: donec trans detegeretur, & ii, qui subscripterant,
ad palinodiam adigerentur. Ipse Victorinus Strigelius,
non ultimus inter Synergistas, in disputatione Vinariensi in-
ter ipsum & Flacium anno 1560. initio Augusti per integrum
septimanam publicè habita agnoscebat, quod hominis na-
tura sit spoliata & graviter fauciata per lapsum: interim con-
tendebat, cum verbum prædicatur, tunc habere eam ALI-
QUAS VIRES, quibus gratiam Dei apprehendere & verbo
Dei asentiri possit, & hoc intuitu hominem non penitus esse
mortuum. Et has qualescumque vires naturæ corruptæ re-
liquas vocabat intellectus & voluntatis proprietates, qui-
bus discernatur agens liberum ab agente naturali, & quæ a-
mitti non possint manente intellectus & voluntatis essentiâ.
Vide, si placet, disp. Vinat. pag. 16. ubi adhibet Strigelius si-
mile magnetis. pag. 17. 28. & has proprietates intellectus &
voluntatis vocat pag. 19. & 22. modum agendi. Cæterum

E 2

cum

17

Disp. Vin. cùm Strigelio Cancellarius in disputatione illâ indicasset,
Pag. 33. quod Princeps desideraret & postularet, ut clarâ & succinctâ ex-

pliacione ostenderet: num tribuat voluntati synergiam ante vel
post regenerationem: & Flacius deinceps strenue ipsum urge-
ret, ut categoricè vel affirmando vel negando declararet,
an voluntati hominis tribueret synergiam ante vel post re-
generationem? item, an initium conversionis tribueret so-
li Deo, exclusò omni adminiculô & synergia naturæ volun-
tatis, an verò synergiam quandam tribueret voluntati, &
quidem an irrenatae an verò renatae? Strigelius tamen induci non potuit, ut perspicue sensa animi sui proferret, sed
potius in omnes se mutavit formas, ut ne sibi necessitas im-
poneretur ad propositas hasce quæstiones disertè respon-
dendi. Cùm verò Flacius nihilominus instaret, ut aliquod
responsum extorqueret: Cancellarius quoque nomine

Principis cum reprehenderet, quod in respondendo latius eva-
garetur quam par esset, ipsique, si jam non esset instructus, spatiu-
daret, ut posterò die responderet: Strigelius cernens nullam
elabendi rimulam sibi esse reliquam, ad ignorantiam confu-
git: expressè enim, non possum, inquit, respondere ad ea, quæ
non didie, neque audivi ab aliis, sed quæ hactenus mibi nota sunt
ad e respondi (responderat autem ambiguè, utrumque esse
opus Dei, velle & perficere, & tamen suò modò esse nostrum) item:

Pag. 38. vel propter ignorantiam cupio mibi veniam dari, vel propter imperitiam. Item: dicat aliquis esse pugnantia: Velle est nostrum,
Pag. 40. & est Dei: consiliet qui volit: ego non possum hac subtilius met-
ri, sicut Aristophanes fingit, Socratē metiri passus pulicis — bitte um Gottes Willen man wolle mir zu gutt halten. Ich fand nicht ausmessen/ ist mir eine Schande / so sey mir eine Schande. Ita videlicet Strigelius nullum non movit lapidem, quod necessitatē disertè respondendi à se amoliretur, idque eō fine,
ut ne veritati vietas manus præbere cogeretur; sed potius sub æquivocis & sophisticis suis responsionibus porrò late-
re posset.

§. 41. Nobis, postquam ea, quæ in disputatione Vi-
nariensi ultro citroque objecta & responsa sunt, diligenter
excussi-

17

excusimus, Strigelii opinio de intellectus & voluntatis proprietate seu modo agendi naturali, salvis tamen aliorum iudiciis, huc tandem redite videtur: *Licet homini post lapsum non tantæ supersint vires, ut seipsum ad Deum convertere possit; tamen, quando ipsi per verbum Gratia Dei offertur, convenire intellectui & voluntati cuique suam proprietatem vel modum agendi naturali; intellectui quidem proprietatem, quæ de Gratia oblatam cogitare, eam meditari, ipsi assentiri: & voluntati competere proprietatem, quæ in eandem Gratiam, quamvis languido quoddam conatu, tendere, illamque amplecti possit, & nisi hec agant intellectus & voluntas, nullam fieri conversionem.* Atque in hoc putat differre hominem à trunco & aliis rebus intellectu carentibus, quod cum Spiritus Sanctus in hominis intellectum & voluntatem agit, intellectus cogitatione, meditatione, assensu; voluntas autem conatu & quoddam desiderio accipiat & apprehendat oblatam gratiam, truncus autem & id genus alia objecta absque ullo à se proficiente motu tantum patiendo efficientis causa operationem recipiant. Sed hæc de erroribus pro ratione nostri instituti dicta sufficientant.

CAPUT QUARTUM.

In quo

Præcipua Adversariorum argumenta adducuntur & examinantur.

§. 42.

RElignum adhuc est, ut, quæ speciem quandam habere vindentur, adversariorum argumenta, quæ potest fieri brevitatem, expendamus. Quod antequam præstemus, duo utiliter præmitti posse videntur: quorum *primum* concernit adversarios Pontificios; *alterum* verò illorum argumenta. Pontificii siquidem, licet Pelagianorum & Semi-Pelagianorum gravissimos & crassissimos errores verbis ut à se declinent, nulli parcant operæ, iisdem nihilominus ferè utuntur argumentis, quibus illi olim suos errores palliare & deferere conabantur. Quantum verò ad ipsa argumenta, magnè quidem numerò illa producuntur, sed pleraque crassam ignorantiam eleachi continent, & vel de homine in sta-

E 3

tū

20.

tu integratis, vel de homine post regenerationem, vel de rebus civilibus & naturali rationi subjectis, vel de aliis huc minimè spectantibus materiis loquuntur, quibus ut plurimum spretis, nos iis erimus contenti, quæ controversiam hanc aliquantò propius attingere visa nobis fuerint.

Bellar. l.

6.de grat. &

lib.arb.cap.

10.

§. 43. Bellarminus primum testimonium sumit ab illis locis, in quibus dicuntur homines in operibus pietatis operarii, adificatores, plantatores, rigatores, cooperatores & coadjutores Dei. Nam, inquit, si homines propriè nibil agerent per liberum arbitrium, sed tantum ducerentur & moverentur, ut mera instrumenta, non deberent appellari cooperatores Dei; sed ligones, nastri, secures & alia id genus. Producit autem hæc loca, Matth. XX. 8.

I.Cor. III. 6,8, 9. Rom. II. 28. Postmodum responsiones Calvinii adducit, & ad eas operosè respondet. Verum enim verò Bellarminum magnò conatu hic magnas nugas agere manifestissimum est. Loca siquidem adducta loquuntur, quod è contextu clatum evadit, de hominibus, in quibus jam Spiritus Sanctus tanquam in proprio suo templo habitat, quos Spiritui Sancto cooperari nemo nostrum negat, cum quæstio sit de homine ante conversionem, an in ipso conversionis actu polleat viribus naturalibus liberi arbitrii. Quin si vel maximè hæc loca de homine convertendo agerent, Bellarminus tamen non probaret, quod probandum ipsi incumbit: loca enim adducta tantum asserunt, nos Spiritui Sancto cooperari, quod est extra controversiam de conversionis progressu; sed unde sint illæ vires, an à natura, an verò ex gratiâ Spiritus Sancti, dicta citata non evincunt; hoc ipsum verò, nos viribus naturalibus liberi arbitrii Spiritui Sancto in conversione nostra cooperari, Bellarmino ex scriptura probandum erat, sed hoc ipse tum præstat, quando

cum canibus timidi venient ad pocula dame.

Scripturæ enim dicta in contrarium jam supra capite 2. sunt allata. Hæc responsio, quanquam multa alia peccata nobis in suo argumento Bellarminus ostendat, nunc sufficere poterit.

§. 44. Al-

S. 44. Alterum testimonium Bellarminus sumit ex illis locis, que imperant aut suadent hominibus opera pietatis & ipsam etiam conversionem ad Deum, de qua maximè litigant Adversarii. Stultum enim esset, imperare aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem. Producit autem sequentia loca Zach. I. 3. Joël. II. 12. 13. Jerem. III. 1. Ezech. XLIX. 31. Jes. 1. 16. Job. VI. 27. 28. 29. Col. III. 9. Phil. II. 12. Videtur autem Bellarminus ita argumentari velle: Si homo non pollet liberò arbitriò ad opera pietatis & ipsam etiam conversionem ad Deum, frustra erunt omnes ad opera pietatis & conversionem incitationes. Consequens est absurdum E. & Antecedens. Consequentiam probat, quia stultum esset suadere & imperare ejusmodi opera ei, qui non esset liberi arbitrii. Verùm nos respondemus negando consequentiam. Non enim propterea quòd homo destituitur viribus naturalibus suasionibus & præceptis Dei obtemperandi, suasiones & monita erunt frustra, neque etiam stultum, suadere ejusmodi opera ei, qui EX SE non est liberi arbitrii, hoc est, qui quantum ad hoc liberi arbitrii viribus spoliatus est, sed sufficit, si per hujusmodi suasiones & incitationes vires operandi homini convertendo conferantur. Cùm itaque hujusmodi incitationes, quæ in scriptura leguntur, sint efficax organon, quòd Spiritus Sanctus collapsas in homine liberi arbitrii vires restaurat, ut deinde homo PER VIRES COLLATAS Spiritui Sancto obedire, & præceptis hisce satisfacere possit, ecquis ejusmodi admonitiones frustraneas & stultas jndicabit ex eo, quòd homo viribus naturalibus Spiritui Sancto obtemperandi destituatur? Marc. V. 41. Christus ad demortuam Archisynagogi puellam ait: *Puella surge.* Joh. XI. 43. *Lazare,* inquit Christus, *veni foras.* Marc. VII. 34. ad mutum & surdum idem inquit: *Ephphata.* Nemo autem hunc in modum colligit: In his subjectis nullæ fuerint vires naturales ad vitam vel ad auditum & loquaciam. Ergo frustra & stulte Christus præcepit, ut mortui in vitam redirent, mutus verò loqueretur & surdus audiret. Nemo, inquam, ita, nisi fungum pro cerebro gestet, argumen-

Marc V. 41

17

tabitur. Aequè autem, imò magis *αὐτοῦ* est argumentum Bellarmini superius adductum, cum in hominis convertendi potestate sit, Spiritui Sancto conversionem in ipso operaturo resistere, huāque resistentiā impedire, quò minus convertatur; in Lazari autem & puellæ demortuæ potestate non fuerit, Christo in vitam illos revocanti resistere. Itaque quod Spiritus Sanctus à nobis requirit, id non nisi ipsius gratiā nos efficere posse agnoscendum est, vi dictorum Sacrae Scripturæ Jerem. XXXI. 18. *Converte me Domine & convertar, ubi convertisti me, egi pænitentiam.* II. Tim. II. 25. *Sifor-* II. Tim. II. 25. tè Deus det illis pænitentiam. Joh. VI. 29. *Hoc est opus Dei, ut lob. VI. 29. credatis in eum, quem misi ille.* Hic verò jam porrò excipit Bellarm. de Bellarminus: *Quando scriptura dicit: Deus operatur velle & gnat. & lib. perficere. Et: Deus operatur omnia in omnibus. Et: dabo vobis cor arb.lib. 6.c. novum & Spiritum novum.* Et cùm nos Deo dicimus: *Converte* 10. col. 902. *nos Deus salutaris noster.* Adversarii contendunt, ejusmodi testi-
lit. A. B. moniis significari, Deum verè & propriè agere & operari nostras ac-
tiones bonas. Cur igitur, quando Scriptura dicit: *Operamini vestram salutem — non patiuntur, ut eodem modo ista eadem vo-*
cabula intelligentur, & propriè dicamur operari nostras bonas ac-
tiones? ESTNE HOC VERBUM DEI SE QUI, AN ILLUD PRO
ARBITRIO AD PROPRIAS HÆRESES DETORQUERE? Hæc
ille. Sed frustra conqueritur, frustra tumultuantur Bellar-
minus: facile enim patimur, ut nos verè & propriè dicamur operari nostras bonas actiones; sed illud non patimur, quòd nos NOSTRIS NATURALIBUS VIRIBUS verè & propriè dicamur operari nostras actiones bonas, quod Bellarminus haētenus non probat, & cur hoc non patiamur, causa longè gravissima subest: scriptura enim non tantum opus conversionis Deo tribuit, quod agnoscit Bellarminus, sed etiam NOSTRIS VIRIBUS opus conversionis prorsus derogat, ceu supra cap. II. ex scripturæ dictis fatis perspicuis est comprobatum. Itaque nos verbum Dei omnino sequimur, neque id pro arbitrio detorquemus, quod fide Lojolitica nobis Bellarminus imponit.

§. 45. Tertium testimonium sumit Bellarminus ex illis locis

Bellarminus
loc. cit.

17

locis, que docent, nos à Deo juvari in operibus pietatis. Non enim, inquit, propriè juvari dicendus est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Ps. XXVII. 9 Ps. LXIX. 2. Rom. II. 26. I. Cor. XV. 10. Respondemus: hoc argumentum nobis non adversatur: præterquam enim, quod dicta è Psalmis allata non tam loquuntur de adjutorio gratiæ in operibus pietatis, quam de liberatione ex variis periculis & angustiis, dicta illa omnia quoque agunt de renatis, qui gratiâ Spiritus sancti ducuntur, & de quibus nulla est nobis controversia. Itaque Bellarminus denuo committit puerilem ignorantiam Elenchi.

§. 46. Quartum testimonium sumit Bellarminus ex iis locis, que docent, hominem à Deo vocatum posse non venire. Nam, inquit, cum per gratiam Dei possit venire, ut adversarii concedunt, si possit etiam gratia resistere & non venire, sine dubio liberi arbitrii esse convincitur. Prov. XI. 19. Matth. XXIII. 36. Joan. VI. 67. Act. VII. 51. Apocal. III. 30. Respondemus negando consequentiam: non enim sequitur, homo per gratiam Dei potest venire, propriis viribus autem potest resistere. Ergo est liberi arbitrii: hoc est, Ergo habet naturales liberi arbitrii vires in actionibus spiritualibus. Hoc ipso enim, quod homo saltim per gratiam Dei potest assentiri, licet propriis viribus possit repugnare, liberi arbitrii viribus hominem ante conversionem destitui convincitur. Unde hoc argumentum contra Bellarminum ita invertimus:

Quicunque propriis viribus potest repugnare, assentiri non potest, is viribus liberi arbitrii destituitur.

Homo nondum renatus in conversione propriis viribus potest repugnare, assentiri non potest.

Ergo homo nondum renatus in ipsa conversione viribus liberi arbitrii destituitur.

Quod si forte Bellarminus vocabulo liberi arbitrii in altero sensu utatur, quam à nobis factum est, argumentum ejus nobis non contradicet: hoc enim sensu, ut jam saepius indicatum est, semper illo termino utatur oportet, quisquis contra nos aliquid obtainere velit.

§. 47. Pergit Bellarminus errorem suum palliare ad- Bellar. loc.
du-
cit. cap. II.

F

17

ductis in medium testimentiis Doctorum veteris Ecclesie.
Licet verò ad singula illa responsio non foret difficilis, eri-

Bellar. l.2. mus tamen in præsens contenti, ex ipso Bellarmino imbe-de concill. cillitatem hujus argumenti (*quod unum argumentum pruden-tioribus hominibus satisfacere debuisse, falso sibi persuadet*) ostendere: ita enim ille: *Scripta sacra Patrum non sunt regula, NEC lit.B.* HABENT AUTORITATEM OBLIGANDI.

B.Luth.art. Maneat itaque, quod alicubi scripsit Megalander noster B. Lutherus: *ex Pa-Smalc.part.* trum verbis & factis non sunt extruēndi articuli fidei: — Regulam *z.art.z.de*, autem aliam habemus, ut videlicet verbum Dei condat articulos fi-Missa p.308. dei, & preterea nemo, ne angelus quidem. Sed Bellarminus hisce **Bellar. lib.** nondum contentius, ulterius quatuor rationes pro confir-
6. de gr. & manda sua sententia urget; sed illæ sunt Bellarminianæ &
lib. arb.c.12. parùm roboris continent: quin hōc ipso nomine indignæ nobis ulteriori responsione videntur, quòd à Pelagio orthodoxis dudum objec̄ta, ab ipsis verò solidè fuerint confutata: quid quòd in articulis fidei rationibus ab humano in-genio confictis parùm vel nihil tribuendum sit, si solidis è scriptura petitis argumentis destituāmur.

Becan. Theolog. Schol. §. 48. Ipse quoque Becanus pro adstruenda Pontificio-
rum sententia aliquot scripturæ testimonia urget, quorum part.2. tom. primum cum præ reliquis eminere videatur paucis considerabimus. Est autem illud petitum ex Gen. IV. 7. ubi dixit

1. tract. i. c. Dominus ad Cain: Nonne si bene egeris, recipies; si autem male, st̄a-tim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus ejus (*peccati scilicet*) & tu dominaberis illius (*appetitus scilicet, quòd ad peccatum propendes, & allieris*) Ita hoc argumentum proponit Becanus.

§. 49. Atenimverò Bellarminus lib. V. de Grat. & lib. arb. c. XXII. eundem hunc locum adducit pro probando libero arbitrio *in moralibus*. Præsupponit igitur ille, quæ hōc loco dicuntur, moralia tantum concernere. In hisce autem irregenitū etiam post lapsum aliquod habere liberum arbitrium nemo nostrum negat. Eat itaque Becanus, & cum so-cio suo Bellarmino prius transfigat, quām locum hanc nobis in præsenti controversia opponat. Esto autem, de spiri-tua-

rialibus & supernaturalibus hic sermonem esse, quod pra-
supponit Becan⁹, tamē in promptu est, quod respondeatur.
Nam quōd priora loci hujus verba attinet, ea in Hebreo
textu ita sonant: **הָלֵא אָסְתַּוְתֵּב שָׁאָלָן וְאֶם לִזְבֵּחַ**
quia sic verti solent: *nonne si benè feceris, elevare (elevatio, yenia erit) & si non, p̄ foribus est peccatum excubans: quorum verborū sensum hunc amplectūtur Interpretes: Si benè egeris, & ex vera fide, quemadmodū frater tuus Abel, obtuleris sacrificia, elevatio vel acceptio tibi erit, æquè mihi acceptus, charus & gratus eris atq; frater tuus Abel: si verò non benè feceris, sed carni tuæ in fovenda adversus fratre tuum ira frena laxaveris, peccatum p̄ foribus est excubans, & aliquamdiu instar canis p̄ foribus jacentis silet, sed quando conscientia sensu iræ divinæ evigilabit, intolerabiles latratus & angores excitabit. Confirmat hanc explicationem Chaldaeus Paraphrastes, qui ita transtulit. **הָלֵא אָסְתַּוְתֵּב עֲבוֹרָךְ שְׁתַבְקֵלְךְ וְאֶם לֹא תַשְׁׂבֵּט עֲבוֹרָךְ לְוֹסֵד רַיְנָה חַצְאָךְ נְטוּרָךְ**
Numquid si emendaveris opus tuum condonabitur tibi, & si non emendaveris opus tuum, in diem judicij peccatum tuum conservatur, quo futurum est ad ulciscendum (ut pœna sumatur) de te, si non resplices: & si resplices, condonabitur tibi. Cœterum quid præsidii in hoc dicto jam invenit Becanus? planè nihil: conditio siquidem illa, si benè egeris: non indicat, quid Cain propriis & naturalibus viribus possit præstare, sed quid ab ipso requiratur, si vita ejus debeat esse accepta. Neque etiam est, ut nobis metuamus ab interrogatione Bellarmini, quando l. c. inquit: *Cur non dicimus homini, si solem stare feceris, sicut dicimus, si benè egeris, habebis hoc aut illud? nisi quia non ignoramus, non esse in potestate hominis, ut solem stare faciat, esse autem, ut benè agat, si velit, vel male, si nolit?* quōd enim non dicitur homini, si solem stare feceris, habebis hoc aut illud, sed si benè egeris, non exinde est, quōd in hominis natu-*

¶ alibus viribus positum sit, sive bene sive male agere velit,
sed quod bene agere possit viribus, quas Spiritus sanctus per
verbum divinitus patefactum confert; solem verò stare fa-
cere nequeat viribus à Spiritu sancto saltim ordinariè col-
latis. Quod si denique à conditione velimus argumenta-
ri ad liberum arbitrium, sequeretur, totam hominis pœni-
tentiam in propriis sitam esse viribus, qui foret apertus Pe-
lagianismus.

§. 50. Quantum ad posteriora loci adducti verba
attinet: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei.* Rabbini, Chrysostomus, Calvinus & aliqui ex Nostratibus in ea sunt sententia, sermonem hic esse, non de peccato, sed de fratre Abele, ut sensus sit: *Tibi, ut primogenito, jam com-
petit dominium in fratrem, appetitus seu voluntas ejus sub
te erit & tu dominaberis illi.* Et probant hanc suam interpre-
tationem ex eo, quia pronomina suffixa in כ & in שׁ generis masculini sunt, & proinde non commodè possint referri ad nomen præcedens נָתַן, quod est gene-
ris fœminini. Quæ explicatio si vera sit, frustra ad hunc

B.Glaß.phil. locum provocant Adversarii. Sed tamen, quia, notante B.
lol.sacr.lib. Glassio, non desunt exempla, ubi hujusmodi constructio oc-
3. tratt. 2. de currat, quæ nomen generis fœminini construatur cum ad-
pron.can.16. je&tivo vel suffixo generis masculini, alii respondent, ser-
monem hic quidem esse de peccato, & verba hunc habere
sensem: *sub te erit appetitus ejus, nempe peccati, & tu domina-
beris ei,* ut ita Deus præcipiat Caino, ne peccato frenum la-
xet, sed potius ei imperet: attamen propterea Beca-
num non obtinere id, quod intendit: negant enim hanc
consequentiam: Deus jubet Cainum, ut peccato imperet
ejusque concupiscentiis resistat, Er. Cain id propriis natu-
ralibus viribus potuit præstare. Et sanè militat hic etiam re-
sponsio, quæ paragrapho superiori fuit proposita: non enim
indicativa sed præceptiva est hæc oratio, quæ commostrat,
quid sit faciendum; unde non licet colligere, fieri illud, quod
præcipitur, viribus naturalibus liberi arbitrii posse; neque
tamen propterea Deus absolutè impossibilia jubet: quod e-
nim

17

nam naturæ est impossibile, per gratiā collatā redditur possibile. Verūm hīc excipit Bellarminus, & excipere etiā posset Bellar. l. 5.
Becan⁹: Deum nec promittere nec jubere, sed significare, peccatum esse de gr. & lib.
in potestate peccantis, & proinde monere Cainum, ut cogitet, in suo arb. cap. 32.
arbitrio esse, cupiditati perversa assentiri vel non assentiri, & iudeo
det operam, ut non vincatur, sed vincat, nisi graviter puniri velit.
Sed hac grātis à Bellarmino dicuntur: Futurum enim illud
לִוְיָתָן, quod hīc occurrit, aut retinet significationem futu-
ri; aut recipit significationem præteriti; aut habet significa-
tionem præsentis; aut interpretandum illud per significa-
tionem Imperativi. Non potest retinere significationem fu-
turi, quia aliās Deus prædixisset falsum: non enim superior
evaſit Cainus, sed potius à peccato vīctus succubuit: neque
recipit significationem præteriti, ut per se liquet, & ex sco-
po dicentis constat: neque significatio præsentis locum in-
venit, non enim peccatum à Caino vincebatur, sed potius
vincebat. Ergo necesse est concedamus, Futurum illud
hīc habere vim imperandi, & Caino hēc per modum præ-
cepti proponi. Neque insolens est Hebræis, ut per enallaga-
gen Futurum pro imperativo adhibeant, quod vel ex solo
capite XX. Exodi patet, ubi complura hujusmodi exempla
apparent. Conferatur etiam B. Dn. Glassius Philol. Sacr.
l. 3. tract. 3. de verbo, can. 49.

§. 51. Unicum adhuc argumentum considerabimus,
quod Victorinus Strigelius, Synergistarum Antesignanus,
contra Flacium Illyricum λαζην τυζ urget; est autem illud
tale: *Omnis gubernatio aut fit persuasione aut coactione, nec potest Dispt. Vina-
dari medium inter hec duo extrema, sicut nec inter naturale agens riens. ses. 4.*
& agens liberum. Sed voluntas non potest cogi: Ergo voluntas pag. 78.
persuadendo, id est, offensione alicujus boni vel mali flectitur ad obe-
diendum vel obtemperandum evangelio, non coacta, sed aliquō modō
volens. Majorē confirmat & declarat exemplō à politica gu-
bernatione desumptō: Magistratus enim regit subditos aut
persuadendo aut cogendo. Ita Strigelius. Antequam verò
ad hoc argumentum respondeamus, repetimus breviter ex
cap. 1. §. 9. actus voluntatis esse vel simplicis complacentia,

F 3

vel

vel efficaces : & deinde ex §. 15. ejusdem capit is , bona spiritualia posse considerari vel confusè vel distinctè . His præmissis respondemus ad argumentum negando Majorem: potest enim, ubi de actibus efficacibus circa objecta spiritualia distinctè cognita sermo est, addi tertium, nempe actualis & efficax actio & motio Spiritus Sancti , quæ plus involvit, quam nudā persuasionem, videlicet efficacē internam motionem voluntatis, quæ a Spiritu Sancto proficiuntur, & voluntati novas confert vires, per quas possit converti, cum alias suasioni merè morali nullatenus assentiri posset. Declarabimus hanc rem aliquantò intricatiorem exemplō ex rebus civilibus petitō. Sit aliquis, qui unō aut pluribus vitiis nobilitatus peccandi habitum induerit. Potest sanè huic bonitas alicujus virtutis moralis adeo clarè ob oculos ponī, & efficacibus argumentis ita persuaderi, ut rationem boni in particulari etiam & distinctè cognoscat, & propterea aliquā delectatione & complacentiā virtutis illius teneatur: neque tamen circa eandem virtutem actum efficacem statim habere potest. Postquam enim habitum vitii quis contraxit, virtus in ejus potestate amplius non est, cum voluntas à vitioso habitu ad malū adeo efficaciter inclinetur, ut ad bonum assurgere & efficaciter illud velle non valeat. Cum igitur, teste experientiā, suasio moralis, in emendatione eorum, qui habitum vitiosum semel contraxerunt, in rebus etiam civilibus, in quibus tamen aliqua adhuc libertas supererat, non sufficit, quanto minus illa sufficiens judicanda est in rebus spiritualibus, ubi omnis prorsus libertas est deperdita. Neque exemplum, quod Strigelius illam Majorem declarat verius, quam confirmat, ullius momenti est: quod enim in gubernatione politica inter suasionem & coactionem nullum datur medium, id ex eo provenit, quia magistratus nudus homo est, cui in voluntatem hominis immediata actio non competit: unde ad bonum neminem adducere potest, nisi boni illius ostensione sive suadendo, & pœnæ irrogatione sive cogendo. Spiritus Sanctus autem tanquam verus Deus immediate potest

17

est agere in hominis voluntatem, atque sic modō efficaciori quām merā suasionē morali fieri solet. Dicis: Si Spiritus Sanctus immediatā actione agit in voluntatem, ut aetio illa plus involvat, quām meram suasionem, sequitur, quod voluntas à Spiritu Sancto ad credendum determinetur. Consequens est falsum; Ergo & Antecedens. Respondemus negando consequentiam: hoc saltim sequitur, quod Spiritus Sanctus immediatā illā actione novas vires voluntati conferat, per quas voluntas semetipsam liberè determinat. Produco in hanc sententiam verba viri Maximè Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi Dn. Joachimi Hildebrandi SS. Theol. D. & Superint. Gener. per Ducatum Lunæburgensem: Domini Præceptoris, Patroni & Promotoris mei filiali obsequiō prosequendi, quibus, ceu priosā quādam gemmā hanc nostram disputationē obsignabimus. Verba ipsa hæc sunt: *Non dicendum videtur, quod D. Hildebrandus voluntas (cujus officiū munus est velle) à gratia determinetur, cum ins. sacr. alias indifferentia in agendo omnino perimi videatur: quicquid diff. 15. de enim aliunde determinatur, ita ut hoc, quod agit, non possit non conv. §. 22.* agere, id liberum dici non potest. At homo libere convertitur, ita ut potuerit etiam non converti: Proinde quemadmodum in generali concurso Dei cum causis secundis determinatio fit à causa secunda: sic in speciali gratia concursu homo qui convertitur Gratiam, non Gratia hominem determinat. Sed hoc peculiare est, quod cum generali illum concursum homo viribus naturā insitis; specialem hunc concursum homo viribus non connatis (quas in conversione nullas admittunt) verum AB IPSA GRATIA COLLATIS determinet. Voluntas igitur ad id ut VELIT actu converti SEMET IPSAM; at non EX SEIPSA LIBERRIME determinat, quod ipso libertas arbitrii salvatur, sed nihil virium voluntati conceditur. Hæc jam sit meta nostri laboris. De cætero o dulcissime Jesu,

si quid in hisce thesibus de Tuo diximus, agnoscas illud

& Tu & Tui: si quid de nostro fortè adjecimus,

ignoscas & Tu & Tui.

Eximio

Eximio atq; Praestantissimo
DN. ANDREÆ REINBECKIO,

SS. Theol. Cult. indefesso

Cathedram Theologicam concendentis
FELICITER!

Dum modò suggestum modò nostram ornare Cathedram;
REINBECKI, tentas, præmia pulchra feres.

boni omnis causa LMQ. scribebam

Joh. Ernestus Gerhardus, SS. Th.D. & P.P.

Purus doctrinæ rivus fluit usque per istud
Reinbecki, scriptum, quod tua mens peperit.

Gratulor, atque tuis studiis felicia quoque
Comprecor. Exaudi has, Tu Deus alme, preces!

Eximio atq; doctissimo Dn. Authori & Repon-
denti ita LMQ. gratulabatur

P R A E S E S.

POst benè Pierii instructum pectus ab undis,
Totus ut in sacris fese Reinbekius abdat,
Non vulgare docet specimen, quo pondera mentis
Humanæ solidè ac sensu rimatur acuto.

Eruditiss. Dn. Reß. gratulatur
Joh. Frischmuth/ P.P.


Rivulus è purò promanans fonte nitenti
Undarum fluxu commoda multa parit.
REINBECKI. Purus tibi fons est litera Sacra,
Ex quâ de arbitrio dogmata docta fluunt.
Arbiter omnipotens rerum, fons ipse salutis,
Faxit ut hoc scriptum commoda mille creet!

Paucula hac in honorem Praeximii atq; Praestantissimi Dn. Authoris, popularis atq; amici sui quotidiana consuetudine & singulari familiaritate conjunctissimi, adjicere debuit, voluit

Joachimus Meiniße/ Lunæburgensis.
F I N I S.







II.

era ungue adamantino descripta est: altera ve-
us arte phrygionica paratis. Horum delebi-
invicto & æterno roboœ constat. Calculum
silicem Davidi tribuit, hostibus picturam tex-
igat Davidis gloriam quidem suam nullo un-
befactandam: At verò inimicorum memoriam,
ut opere exagitetur, citò obliterandam esse, pro-
æque prodit *Claudius Rangolius Cresperens. Vales.* Cl. Rang.
em spectes) huc inepte referuntur verba Cl.
ima: Fundā projicere animam inimicorum Davidis Cōment.
optim eam abficit & violenter ipsis eripit, sicut in h. l.
longè abficitur, absque ulteriori ejus curâ, Me- * Rhetor.
ti, armis nimirum Davidis desumpta, quæ Abigail Tract. I. c. 7
Contrà ligare secum animam Davidis in Fasciculo p. m. 134.
ir: Cum eam paternè curat, contra mortem ab ho-
ustodit, & omnimode securam præstat, ut avelli ei à
Sed satis de his: sequitur

Membrum Secundum.

m ad aliorum hujus Textus paraphrasin, no-
te fententiam descendantes perpendimus, ani-
s considerandi atque explorandi nonnullorum
rundemque præcipuorum, partim Scripturæ S.
partim ipsi discrepantem, fabulasque sapientem

CHAK ABARBANEL, qui in Commentarii
em, aliàs rarissimum, ab Excell. Dom. Doct. Bux-
On. Ioh. Bened. Carpzovio Lips. Amico meo dile-
M. DC. LVIII. M. Octob. mutuo habui glo-
pilus è radice Isai Bethlehemita, è familiâ Domus
Imperatoris populi Israëlis oriundus, sequentia an-
Abigail ait, quod JEHOVA Davidi sit constitu-
ת בְּנֵי דָוִיד
Domum firmam, veram. Ubi R. Abarba-
, quid per domum firmam intelligat. nempe
m, qd. dixerit Abigail: Benedictum Dominum
בְּעַלְהַה הַכֹּא in hoc seculo, & בְּעַלְהַה in altero.

